

CONSTITVTIONES
IN DIOECESANA SYNODO TARENTINA

Ab Illustrissimo, ac Reuerendissimo D. D.

BONIFACIO CARD. CAETANO
ARCHIEPISCOPO TARENTINO
EDITAE, AC PROMVLGATAE.

Accessere nonnulla Pontificum, Canonum, ac Tridentini Concilij Decreta: in commune commodum vulgari lingua edita.



ROMÆ, Ex Typographia Iacobi Mascardi. M. DC. XV.
SVPERIORVM PERMISSV.



Ex Legato P. Salvatoris Parrini
d. Brigittae Congnis Nri Dei

Imprimatur, si videbitur Reuerendiss. P. Mag. Sacri Palatij Apost.

Cæsar Fidelis Vicesgerens.

Imprimatur.

Fr. Gregorius Donatus Rom. Lector, & Reuerendissimi P. F. Hyacinthi Petronij Sacri Palatij Apostolici Magistri Socius, Ord. Præd.



BONIFACIVS

TIT. S. PVDENTIANAE S. R. E. PRESBYTER CARD. CAETANVS ARCHIEPISCOPVS TARENTINVS

Vniuerſo Clero, & Populo Ciuitatis, & Diœceſis Tarentinæ S.



ONSTITVTIONES, Quas noſtro ſtylo, non ſine graui labore, in Eccleſiæ Tarentinæ noſtræ honorem, & veſtrum omnium vtilitatem diligenter ipſimet exarauimus, & in noſtra Diœceſana Synodo nuper celebrata iuſsimus publicari, typis etiam excudi curauimus: quò facilius omnes earum copiam habere, &

vnusquisque pro virili sua paternas monitiones, & præcepta, quæ in ipsis iniunguntur, adimplere posit. Eas igitur læta fronte ita recipite, & seruate, vt DEVS Optimus Maximus in dando vos hilares aspiciat: & post huius vitæ cursum largus dispensator æterna gaudia retribuat. Interim vobis paternam benedictionem impertimur. Datum Tarenti ex nostris Aedibus Archiepiscopalibus, Die II. Iunij MDCXIV.



INDEX TITVLORVM, QVI HAC SYNODO CONTINENTVR.

ALCV-

ALCVNI ORDINI, E DECRETI de' Romani Pontefici, Concilij, e Canoni volgarizati.

INDEX RERVM, QVAE HAC SYNODO CONTINENTVR.

P. M. F. principium, medium, finem paginae significat.

ARCHIE-

Proprius

BONIFACII CARDINALIS CAETANI
ARCHIEPISCOPI TARENTINI
ORATIO
HABITA IN SYNODO.



AVDATAM Celebrandæ Synodi consuetudinem in hac nostra Tarentina Diœcesi ad eius regimen à DEO vocati nunc primum repetimus, dilectissimi. Hoc vetus Ecclesiæ Catholicæ ritus docuit: hoc antiqua Sanctorum Patrum probauit auctoritas: hoc denique Sacrorum Conciliorum, & præsertim omnium maximi Tridentini sancita decreuerunt. Quid enim ea vtilius, quid salubrius ad veram Religionem ne dum conseruandam, verum etiam augendam, ad cultum DEO gloriosius exhibendum, ad sacrorum administrationem decentius exercendam, ad componendos denique mores, & Ecclesiasticam disciplinam aut stantem conseruandam, aut labentem restituendam excogitari potuit? Licet enim Episcopi in alto Ecclesiæ gradu constituti tanquam è specula subditorum actiones non intueri modo, verum etiam errata omnia corrigere teneantur; ac propterea præcipuo quodam DEI numine ducantur: nemo tamen ibit inficias, eos ipsos mortalitatem hanc miseram non exuere, acumine ingenij non posse

omnia perlustrare, non esse denique ita oculatos, quin Sanctorum virorum ope, eruditorum hominum consilio, plurium oculorum acie non indigeant. Quamobrem DEVS Optimus Maximus, qui solus omnia nouit, & cuncta, teste Salomone, sua virtute vndequaque perficit, ac suaui quodam modo gubernat, humanam contemplatus imbecillitatem, inferioris ordinis instituit Sacerdotes: qui maioribus, Episcopis scilicet, opera, virtute, consilio, ad DEI Ecclesiam gubernandam, ad subditos in officio continendos, ad populos denique in Coelum deducendos essent adiumento. Maximus ille vir Moyses, cui admiranda facere, populum à seruitute Pharaonis vindicare, per loca non ante alijs cognita, aut peruia ducere, demum DEVM ipsum alloqui, & ab eo coram legem accipere datum fuit, nihilominus septuaginta viros eligere iussus est, quorum auxilio in regendo DEI populo leuaretur. Aaroni Sacerdoti maximo Eleazarus, & Ithamarus; ijsdem eadem postea dignitate insignitis vniuersa Leui tribus in Sacerdotalibus muneribus obeundis deseruiebat. Quid antiqua, & quasi vmbraculis, & figurarum lineamentis designata recenseo, fratres? CHRISTVS Dominus, Sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech, futurorum bonorum Pontifex, Ecclesiæ, quam acquisiuit sanguine suo, institutor, atque magister, non solum duodecim elegit, quos, & Apostolos nominauit, verum etiam alios septuaginta duos discipulos sibi adsciuit; illisq. adhuc viuens, (vt ex lectione Euangelica nuper recitata percepistis) prædicandi munus imposuit. Quod si antiquæ legis, quæ omnia sub peccato

conclu-

concludebat, Sacerdotibus auxilio opus erat; quanto magis noſtri temporis Pontifices eo egere dicendum eſt, qui Sacramenta, quæ gratiam conferunt, & à peccatis liberant, conficere, & miniſtrare, & populum doctrinæ documentis, innocentia vitæ, virtutum omnium exemplo inſtruere, atque ad æternam ſalutem perducere tenentur? Si CHRISTVS Dominus, qui vere DEVS fuit, hoc facere non eſt dedignatus, quanto magis Epiſcopi, qui ſe, & homines eſſe, & ſæpius errare fateantur neceſſe eſt? Etenim nobis, quaſi militantibus Eccleſiæ Anteſignanis bellum cum teterrimo illo humani generis hoſte atrocius, atque maiori cum vigilantia, quàm cæteris, eſt gerendum; illius impetus retundendi, fraudes aperiendi, inſidias detegendi præcipuum nobis onus incumbit. Quapropter & excubias ponere, vigilias diſtribuere, exploratores præmittere, omnes denique in vnum conuocare noſtrum eſt: vt ſi quando cum hoſte conſerenda ſit manus, nefarijs illius conatibus terribilis, vt caſtrorum acies ordinata, occurrat Sancta Mater Eccleſia. Hinc Synodi congregandæ orta eſt inſtitutio, atque neceſſitas. Arte, dolo, fallacijs, non vi, aut aperto Marte noſter hoſtis Diabolus primos humani generis parentes deuicit, à terreſtri Paradiſo expulit: poſtea vero plurimis inſoleſcens victorijs, eouſque eius proceſſit audacia, vt etiam vitia, res turpes, flagitioſos homines, ſe ipſum denique (proh nefas) vti Deos coli tentauerit, & fuerit conſecutus. Et licet CHRISTVS Dominus eius domuerit vires, de eo victoriam reportauerit, ac triumphum egerit; non tamen elati ſuperbiæ illius, atque

inuidiæ ſpiritus fracti; omnia conari; nihil intentatum contra DEI Eccleſiam relinquere. Quot magos ſuſcitauit? quot Philoſophos inſtruxit? quot Tyrannos in medium protulit? Hos omnes quoties in vnum collegit? vt rebus falsò admirandis, doctrinæ captioſis argumentis, tormentorum ſæuitia creſcentem Religionem obumbraret, conuinceret, è medio tolleret? Verum cum illius conatus miraculorum, & fidei veritas, & Martyrum inuicta conſtantia irritos redderent, & inanes, Conſtantini illius Magni temporibus, cum iam pacata omnia eſſent apud Chriſtianos, aliam rationem ſibi ineundam, & ad antiquas artes, ad fallacias repetendas redeundum eſſe exiſtimauit. Huc vires omnes tranſtulit, huc neruos omnes intendit, vt quos non illuſionibus, non argumentis, non metu denique vincere potuiſſet, voluptatum illecebris irretiret: facile fore ratus, ſi eos vitijs mancipaſſet, vt à vera Religione deficerent. Etenim vbi probi dilabuntur mores, oriuntur errores; & vbi ſenſus dominantur, ſuccumbens miſera ratio ſeruire cogitur; atque aſſueta malis, & libertati mens ſuaue Domini iugum, perinde ac ſi onerosum eſſet, excutit, reſpuit, abominatur. Si obedientiam ab Eccleſia tollas, omnis Eccleſiaſtica diſciplina in præceps ruat neceſſe eſt. Quænam, quæſo, Auditores, Arrio perſuaſerunt, vt à Catholica fide deficeret, niſi quod Sanctiſſimorum Epiſcoporum Petri, & Alexandri monitis parere, illorum auctoritati ſubeſſe indignabatur? Non eſt cur orationem in antiquis exemplis retexendis conteramus: hoc luce meridiana clarius nouiſſimis temporibus oſten-

derunt

derunt vniuersæ fere Septentrionales regiones; quæ non alia de causa in turpissimas lapsæ sunt hæreses, nisi quod obedire Romano Pontifici; illum, vt vniuersalis Ecclesiæ pastorem, Episcoporum omnium Episcopum, summum DEI in terris Vicarium, vt par est, venerari nimis arduum, nimis durum illis visum est: quia nimirum Romanæ, atque Apostolicæ Sedis dignitas, maiestas, auctoritas illis obstabat, quominus Ecclesiastica bona vsurpare, sacra omnia rapere, venalia habere, in proprium vsum conuertere, atque ex libidine propria viuere possent. Videtis itaque, Fratres, quonam modo prauos mores quasi pedissequi subsequantur errores. Sancta vniuersalis Tridentina Synodus, suorum temporum miserata conditionem, huic malo, ne in Ecclesia DEI vlterius serperet, occurrere volens, nihil habuit antiquius, quàm vt lapsi in deterius mores in melius commutarentur; praui vsus tollerentur, Ecclesiastica disciplina in pristinum statum reuocaretur. inter alia magno illo Concilio dignissima, non ad alium, quàm ad hunc ipsum finem decreta, illud fuit, vt in singulis Diœcesibus Synodus congregaretur. Intellexerunt enim præstantissimi illi Patres non in omnibus morbis ijsdem esse medicinæ artibus vtendum: habendam esse rationem locorum, temporum, & personarum: ac proinde non secus esse Oecumenici Concilij, vniuersæ Christianæ Reipublicæ mederi morbis. quam Diœcesanæ Synodi priuatis occurrere malis. magnoq. consilio factum est, vt hoc singulis annis repetatur: morbos enim qui non curat, nutrit; & nisi principijs resistatur, vbi creuerint,

& vires


& vires defecerint, frustra remedia expectes. Sed proh dolor; quamquam in Ecclesię gremio constituti simus, quamquam apud nos Tridentinum Concilium fuerit receptum, quamquam denique plurimæ post illud latæ fuerint Synodales leges; nihilo tamen meliores effecti fuimus: omnia ambitionis, auaritiæ, omnia libidinis plena: nec solum apud vulgares homines, sed (quod nobis vehementer indolendum, & lachrymandum est) apud Ecclesiasticos clericali charactere insignitos, apud Sacerdotes. Nisi quisque mentis, ac rationis lege, repugnantem in membris suis legem peccati compescat, & se ipsum ad honestatem informet, inane est pœnales condere leges: quibus si perditos homines coërceas, meliores nunquam in sceleribus perpetrandis, magis cautos vt plurimum, efficies. Habet hoc honestas, vt per se ipsa sit expetenda; non vi legum, aut metu pœnarum: *Satis enim nobis persuasum esse debet*, inquit latinæ eloquentiæ, atque philosophiæ princeps Cicero, *si Deos omnes, hominesq. cælare possimus, nihil tamen auare, nihil iniuste, nihil libidinose, nihil incontinenter esse faciendum*; Nos adeo cæci sumus, vt, quod Ethnicus vidit Philosophus, oculos nostros lateat. O deplorandam nostrorum temporum calamitatem, ò perditam viuendi rationem. Sanctus Petrus, vt apud Acta Apostolorum legitur, Ananiam, qui, agro vendito, partem pretij tantum attulerat, partem vero tacitus sibi retinuerat, extremo improuisæ mortis, quæ statim sequuta est, supplicio puniendum fore prædixit: At Ananias agrum proprium, non alienum vendiderat: Quid faceret, si modo

inspi-

inſpiceret Sacerdotes negotijs minime licitis implicitos, ſubdolos, auaros, rapaces? Sanctus Paulus electionis vas, & gentium Doctor de libidinoſis; & fornicarijs diſſerens, cum huiuſmodi nec cibum ſumendum eſſe aiebat: quid diceret, ſi modo videret Religioſos viros libidini mancipatos, ventri, ac veneri indulgentes, meretrices publicè alentes, veluti coniuges domi ſuæ retinentes? O rem non modo viſu fœdam, dictu turpem, ſed etiam auditu verecundam. Vtinam nouas condendo leges mores in melius commutare poſſemus: præclarè enim nobiſcum actum foret; res breui negotio conficeretur. Verum, vti diximus, malitia hominum ſuperat legum honeſtatem. Itaque non eo animo vos conuocauimus, Fratres, vt aliqua decreta noua vobis proponeremus: etenim ſemper exiſtimauimus obedire maioribus vtile, antiquis Sacrorum Canonum, & Conciliorum decretis inhærere tutum, nouas condere leges periculoſum ad Eccleſiaſticam diſciplinam, aut tuendam, aut augendam. Sed potius, vt in certum ordinem redactis, atque in vnum collectis ijs, quæ ad diuini cultus præſtantiam, Eccleſiarum congruam ſeruitutem, ſacrorum dignam adminiſtrationem, Eccleſiaſticæ denique diſciplinæ, ac morum honeſtatem pertinentia, à Sacrorum Canonum, & Conciliorum decretis, & Summorum Pontificum conſtitutionibus ſancita ſunt, præcipuam, noſtræq. Diœceſi accommodatam gubernationem, & viuendi normam ſynodalibus ſanctionibus inſtitueremus: abuſus, Satana ſuadente, introductos funditus euelleremus: atque omnia ad vetus Eccleſiæ inſtitutum in

pristinum statum reuocaremus. DEVS Optimus Maximus adsit nobis; ille, qui est PATER luminum, apud quem non est transmutatio, nec vicissitudinis obumbratio, mentes nostras illuminet. CHRISTVS Dominus, qui via, veritas, & vita est, viam nobis ad veritatem aperiat, vitam nostram disciplina honestatis informet. SPIRITVS ille septiformis, omnium gratiarum, & bonorum largitor optimus, sua dona in nos copiose effundat, gressus nostros dirigat, nos semper comitetur, corda nostra igne suæ charitatis inflammet. Hoc vnius, trinique DEI auxilium tu nobis, CATALDE, Pater, implora: te appellamus, tuum patrocinium inuocamus. Tu Beatissimam Virginem DEI matrem, in cuius honorem hæc Metropolitana Ecclesia primum dicata fuit, vnà tecum in nostrum fauorem excita: Tu illius opem, cui viuens Basilicam ædificasti, & in cuius Basilica, te vita functo, Reliquiæ tuæ sanctissimæ requiescunt, ad gratiam nobis à DEO, atque vnigenito Filio eius impetrandam tecum adhibe: Vt nos tua, eiusdemq. Beatissimæ Virginis intercessione, ea in præsenti Synodo statuere, & decernere valeamus, quæ ad DEI Optimi Maximi laudem, & gloriam perpetuò cedant, & Clerum vniuersum, cunctumq. populum Tarentinum in eum religionis, pietatis, & sanctitatis statum, in quo primum à te ordinati, atque instituti fuere, restituant: Vt si quam iacturam diabolica fraude decepti fecerunt eorum, quæ te auctore à DEO Optimo Maximo acceperunt; te etiam intercessore recuperent, & vsque ad huius seculi finem retineant, & obseruent. Dixi.

IN NOMINE SANCTÆ, ET INDIVIDVÆ TRINITATIS PATRIS, ET FILII, ET SPIRITVS SANCTI. AMEN.



NOS BONIFACIVS Tituli Sanctæ PVDENTIANAE S. R. E. Presbyter Cardinalis CAETANVS Archiepiſcopus Tarentinus in præſenti noſtra prima Diœceſana Synodo infraſcripta Decreta ſtatuimus, & promulgamus. Tarenti die xj. Menſis Maij M. DC. XIV.

TITVLVS PRIMVS.

DE FIDE CATHOLICA PROFITENDA.

CAPVT PRIMVM.



FIDES Bonorum omnium fundamentum, licet à DEO in viſceribus hominum data; & in corde eorum ſit ſcripta lex, ob quam nos ſumus ei in populum, & ipſe eſt nobis in DEVM; ore tamen, & confeſſione pandenda eſt: vt quod ex immenſo fonte intus hauſimus, hoc verbum bonum cum Propheta foris eructemus: & quemadmodum corde credimus ad iuſtitiam, ore pariter confiteamur ad ſalutem. Quamobrem antiquum, lauda-

bilem, ac receptum Ecclesiæ morem sequentes, Fidei professionem, quam Sancta Romana Ecclesia, omnium Ecclesiarum Caput, Mater, & Magistra profitetur, iuxta formam à Pio IIII. Summo Pontifice præscriptam, vt in hac præsenti Synodo in primis duximus esse faciendam, ita in alijs in posterum celebrandis semper præmittendam esse decernimus. Cuius formula hæc est.

Ego N. firma fide credo, & profiteor omnia, & singula, quæ continentur in Symbolo fidei, quo Sancta Romana Ecclesia vtitur, videlicet. Credo in vnum DEVM Patrem omnipotentem, factorem cæli, & terræ, visibilium omnium & inuisibilium. Et in vnum Dominum IESVM CHRISTVM, filium DEI vnigenitum. Et ex Patre natum ante omnia sæcula: DEVM de DEO, lumen de lumine; DEVM verum de DEO vero. Genitum, non factum: consubstantialem Patri: per quem omnia facta sunt. Qui propter nos homines, & propter nostram salutem descendit de cœlis. Et incarnatus est de SPIRITV Sancto ex MARIA Virgine: & homo factus est. Crucifixus etiam pro nobis sub Pontio Pilato, passus, & sepultus est. Et resurrexit tertia die secundum scripturas. Et ascendit in Cœlum, sedet ad dexteram Patris. Et iterum venturus est cum gloria iudicare viuos, & mortuos; cuius regni non erit finis. Et in SPIRITVM Sanctum Dominum, & viuificantem: qui ex PATRE, FILIOQVE procedit. Qui cum PATRE, & FILIO simul adoratur, & conglorificatur; qui locutus est per Prophetas. Et vnam, Sanctam, Catholicam, & Apostolicam Ecclesiam. Confiteor vnum Baptisma in remissionem peccatorum. Et expecto resurrectionem mortuorum. Et vitam venturi sæculi. Amen.

Apostolicas, & Ecclesiasticas traditiones, reliquasq. eiusdem Ecclesiæ obseruationes, & constitutiones firmissime admitto, & amplector.

Item sacram Scripturam iuxta eum sensum, quem tenuit, & tenet Sancta Mater Ecclesia, cuius est iudicare de vero sensu, & interpretatione sacrarum Scripturarum, admitto: nec eam vnquam, nisi iuxta vnanimem consensum Patrum, accipiam, & interpretabor.

Profiteor quoque septem esse vere, & proprie Sacramenta noua

legis

legis, à IESV CHRISTO Domino Nostro instituta, atque ad salutem humani generis, licet non omnia singulis, necessaria: scilicet, Baptismum, Confirmationem, Eucharistiam, Pœnitentiam, Extremam Vnctionem, Ordinem, & Matrimonium; illaq. gratiam conferre: & ex his Baptismum, Confirmationem, & Ordinem sine sacrilegio reiterari non posse.

Receptos quoque, & approbatos Ecclesiæ Catholicæ ritus in supradictorum omnium Sacramentorum solemni administratione recipio, & admitto.

Omnia, & singula, quæ de peccato Originali, & de Iustificatione in sacrosancta Tridentina Synodo definita, & declarata fuerunt, amplector, & recipio.

Profiteor pariter in Missa offerri DEO verum, proprium, & propitiatorium sacrificium pro viuis, & defunctis: atque in sanctissimo Eucharistiæ sacramento esse verè, realiter, & substantialiter corpus, & sanguinem vnà cum anima, & Diuinitate Domini Nostri IESV CHRISTI; fieriq. conuersionem totius substantiæ panis in corpus, & totius substantiæ vini in sanguinem; quam conuersionem Catholica Ecclesia Transubstantiationem appellat. Fateor etiam sub altera tantum specie, totum, atque integrum CHRISTVM, verumq. sacramentum sumi.

Constanter teneo Purgatorium esse; Animasq. ibi detentas fidelium suffragijs iuuari.

Similiter & Sanctos vnà cum CHRISTO regnantes venerandos, atque inuocandos esse: eosq. orationes DEO pro nobis offerre; atque eorum reliquias esse venerandas.

Firmissimè assero imagines CHRISTI, ac Deiparæ semper Virginis, necnon aliorum Sanctorum habendas, & retinendas esse; atque eis debitum honorem, ac venerationem impartiendam.

Indulgentiarum etiam potestatem, à CHRISTO in Ecclesia fuisse relictam; illarumq. vsum Christiano populo maximè salutarem esse affirmo.

Sanctam Catholicam, & Apostolicam Romanam Ecclesiam omnium Ecclesiarum Matrem, & Magistram agnosco: Romanoq.

Pontifici Beati Petri, Apostolorum Principis, successori, ac IESV CHRISTI Vicario veram obedientiam spondeo, ac iuro.

Cætera item omnia à sacris Canonibus, & Oecumenicis Concilijs, ac præcipuè à sacrosancta Tridentina Synodo tradita, definita, & declarata indubitanter recipio, atque profiteor: simulq. contraria omnia, atque hæreses quascunque ab Ecclesia damnatas, & reiectas, & anathematizatas, ego pariter damno, reijcio, & anathematizo.

Hanc veram Catholicam fidem, extra quam nemo saluus esse potest, quam in præsenti sponte profiteor, & veraciter teneo, eandem integram, & inuiolatam, vsque ad extremum vitæ spiritum constantissime, DEO iuuante, retinere, & confiteri, atque à meis subditis, vel illis, quorum cura ad me in munere meo spectabit, teneri, doceri, & prædicari, quantum in me erit, curaturum.

Ego idem N. spondeo, voueo, ac iuro: Sic me Deus adiuuet, & hæc sancta Dei Euangelia.

CAPVT II.

AD hanc fidei professionem in manibus nostris, seu Vicarij nostri Generalis, seu Officialis omnino præstandam ex Sacri Concilij Tridentini decreto, atque eadem Pij IV. constitutione meminerint se teneri de beneficijs quibuscunque prouisos curam animarum habentibus, à die adeptæ possessionis infra duos menses. Item omnes, quibus de Monasterijs, Conuentibus, Domibus, vel alijs quibuscunque locis Regularium quorumcunque Ordinum, etiam Militiarum, quocunque nomine, vel titulo prouidebitur. Prouisi autem de Canonicatibus, vel Dignitatibus in Ecclesijs Cathedralibus se hoc ipsum præstare debere non solum coram Episcopo, siue eius Officiali, sed etiam coram Capitulo. alioqui prædictos omnes, vt supra, prouisos non facere fructus suos: sed ad restitutionem obligatos esse: nec eis aliquo modo captam possessionem suffragari.

Ad eandem fidei professionem emittendam teneri volumus ante susceptionem Officij Vicarium nostrum Generalem, necnon

Vica-

Vicarios Foraneos, Actorum Magiſtros, Notarios, & cæteros omnes officiales Curiæ noſtræ Archiepiſcopalis, ſiue in Ciuitate Tarentina, ſiue extra in reliquis Diœceſis partibus commorantes, ſub pœna priuationis officij. Procuratores etiam, & Aduocati in eadem Curia cauſarum patrocinia ſuſcipientes, & præſertim earum, quæ ad ſanctam Inquiſitionem ſpectant, qui profiteri renuerint, ſeu neglexerint, ad cauſas dicendas nullatenus admittantur.

Eodem modo profiteantur Concionatores, antequam ad diuini verbi prædicationem accedant. Item omnes, qui artes liberales, aut Philoſophiæ diſciplinas, ſiue vtriuſque Iuris peritiam, ſeu ſacram Theologiam publicè docendi munus aſſumunt, nouerint ſe teneri ex eiuſdem Pij IV. decreto.

Medicinam demum, & Chirurgiam exercentes à fidei profeſſione ſe exemptos non eſſe ſciant: immo eò magis teneri, quò frequentior numerus reperitur artis Medicinæ imperitorum: qui ad curandos morbos turpis lucri cauſa vetitas ſuperſtitiones, incantationes, & veneficia exhibere conſueuerunt. Quæ, quoniam non ſine maximo fidei Catholicæ periculo, animarum vero illorum, qui tales vel recipiunt, vel exhibent medicationes, certa pernicie adhiberi poſſunt, quantum in Domino poſſumus, euellere cupientes, non ſolum omnes, & ſingulos, vt ab huiuſmodi medicamentis abſtineant paternè monemus; verum etiam ſub excommunicationis pœna præcipimus. Ideo, niſi facta prius fidei profeſſione, ad Medicinæ, & Chirurgiæ artem exercendam nemo in poſterum admittatur: quiq. non iuret pariter ſe, neque Catholicæ fidei puritati contrarias, neque bonis moribus repugnantes curationes ægris exhibiturum; idq. ex Lateranenſis Concilij præſcripto, cuius tenorem, vna cum declaratione Pij Papæ V, ad vnguem ab ipſis in tota noſtra Diœceſi obſeruari mandamus.

CAPVT III.

CAncellarius Curiæ noſtræ Archiepiſcopalis librum conficiat, in cuius album nomina, cognomina, & patrias profiten-

tium

tium vnà cum die, mense, anno, causa, loco, & persona, in cuius manibus professi sunt, referat. Profitens verò ibidem manu propria subscribere teneatur. Volumus autem huiusmodi librum in Archiuio nostræ Curiæ Archiepiscopalis ad futuram rei memoriam asseruari.

TITVLVS II.

De Hæreticis, Schismaticis, Incantatoribus, Artem magicam exercentibus, Blasphemis, & alijs huiusmodi.

CAPVT PRIMVM.



NIMARVM ad veritatem agnoscendam conuersionem suum esse cibum tunc Dominus affirmauit, cum Apostolis de corporali cibo sollicitis, se, qui in vna Samaritana ad fidem conuertenda intentus erat, habere alium cibum manducare, quem ipsi nescirent, respondit. Propterea nos, qui veritatem iam agnouimus, frumentum CHRISTI effecti, ita fidei puritatem retinere debemus, vt panis mundus inueniamur. Ne igitur, iuxta Apostoli dictum, modicum fermenti totam farinæ massam corrumpat, Hæreticos, siue de fide Catholica suspectos homines, ex ea zizania, quam inimicus homo in agro Patrisfamilias superseminauit fermentatos, à quo fermento cauendum esse docuit Dominus, ab omnibus vitandos, & fugiendos esse præcipimus. Et quoniam singulari DEI beneficio hac in re præstanda temporalis potestatis vigilantia iuuamur, cum Rex noster non solum cognomento CATHOLICVS, sed magis re ipsa Catholicæ fidei propugnator acerrimus, subditos suos cum hæreticis, & infidelibus, non societates, & amicitias inire patiatur, non commercia intermiscere permittat; nobis, cæterisq. Tarentinæ Vrbis,

& Diœcesis animarum curam administrantibus præcipuum onus incumbit, vt ab internis incursionibus fidei puritatem sartam tectam conseruemus.

Inuigilent igitur Parochi, atque animarum Curati gregi sibi commisso, ne qua Diaboli fraus latenter irrepat: & omni studio secretè inquirant saltem semel in mense, an intra suæ Parœciæ limites aliquis, vel hæreticus, vel de Fide Catholica suspectus reperiatur. Quod si tales (quod absit) adesse compererint, infra octo dierum spatium à die habitæ notitiæ computandum eos nobis, seu Vicario Generali denunciare teneantur.

Ad quam denunciationem pariter omnes, & singulos vtriusque sexus fideles, siue laicos, siue Clericos se ita obligatos esse intelligant, vt qui denunciare recusauerint, vel scienter neglexerint, sententiam excommunicationis incurrant.

Huiusmodi autem denunciationes vnà cum proprij nominis subscriptione in scriptis, aut faciant, aut redigi permittant; sibi pro certo persuadentes, denunciantium nomina nullo vnquam tempore fore publicanda, nisi aliter iuxta sacrorum Canonum dispositionem faciendum esset.

Suspecti vero de fide Catholica inter alios censendi sunt, qui Hæreticos scientes recipiunt: vel cum ijs amicitias ineunt: aut iam initas per litteras fouent: qui verba, quæ hæresim sapiant, protulerint: qui sacræ Scripturæ loca contra sensum Ecclesiæ contorquent, vel obscœnis, & turpibus rebus accommodant: qui cibos vetitos temporibus à Iure prohibitis comedunt, & alijs comedere suadent: qui plures vxores, vel maritos respectiuè dolosè duxerint, primo matrimonio non soluto: qui veneficia, incantationes, sortilegia, & alias Magicas artes cum expressa, vel tacita Dæmonum inuocatione, aut pacto, vel sacrorum abusu in publicam perniciem exercent: tandem qui Hæreticorum libros domi retinent, & legunt, si alioqui bonæ conditionis, & famæ, & inculpatæ vitæ non existant.

Omnes autem, & singulos, vt paternè monemus ab huiusmodi Satanæ, & tenebrarum operibus abstinere; ita rigidè iuxta Sacro-

rum

rum Canonum, & Conciliorum statuta de eis vltionem nos capturos esse minamur: seuerius tamen Clericos, & Ecclesiasticas personas, etiam Officij, & Beneficij priuatione, atque alijs arbitrio nostro pœnis nos punituros esse pollicemur.

Et ne supradicta Decreta quenquam lateant, mandamus ea per Parochos vulgari lingua reddita bis in anno, videlicet in diebus festis Sanctorum Apostolorum Andreæ, & Matthiæ alta voce populo inter Missarum solennia publicari.

CAPVT II.

NEmo in nostra Diœcesi Conclusiones de rebus fidei publicè disputandas proponat, nisi prius à Nobis, aut à Vicario nostro Generali in scriptis licentiam impetrauerit.

De animæ vero immortalitate nullo pacto, iuxta Lateranensis Concilij sub Leone X. celebrati decretum, disputationes intermisceantur.

Sed & in priuatis colloquijs à dubijs, & quæstionibus fidei, & sacræ Theologiæ, ignaros homines absque præsentia alicuius docti, & probati viri, cuius dicto eos statim acquiescere decet, omnino præcipimus abstinere: accedentes enim ad DEVM credere oportet: & inutiles quæstiones, præcipiente Apostolo, vitari debent.

CAPVT III.

INitium sapientiæ esse timorem Domini, eundemq. diuitiarum omnium thesaurum docet Regius Vates; *quoniam non est inopia timentibus eum*. Ergo quò pauperiores, & insipientiores illi censendi sunt, qui sanctum, ac terribile DEI nomen blasphemare, & maiestatem eius, qui mirabilis est in Sanctis suis, in eosdem Sanctos, & præcipue in Beatissimam Virginem eius Matrem conuicia proferendo, dehonestare, &, quantum in ipsis est, vituperare non verentur, nec erubescunt; eò diligentius à nobis prouidendum

dendum eſt, ne impius huiuſmodi DEI contemptus animos fidelium regimini noſtro commiſſorum, non mundo, non carne, ſed Diabolo tantum ſuadente inuadat, & occupet. Statuimus igitur, vt contra eos, qui in DEVM, ac Beatiſſimam Virginem, & cæteros Sanctos blaſphemias, quæ hæreſim ſapiant, aut contineant, protulerint, tanquam de fide Catholica ſuſpectos procedatur. Alij verò, qui ignominioſa, & turpia verba in eoſdem, non tamen Hæreticæ prauitatis labe aſperſa, vel calore iracundiæ, vel mala conſuetudine inducti eructauerint, pœnis in Conſtitutione Pij V. ſuper hoc edita contentis puniantur.

Et quoniam magis præſtat non peccare, & peccata ne ſequantur impedire, quàm commiſſa, vel plangere, vel corripere; atque fidelium animi potius amore virtutis alliciendi, quàm formidine pœnæ perterrefaciendi ſunt: Mandamus omnibus Parochis, & curam animarum adminiſtrantibus, vt in Eccleſijs ſibi commiſſis Societatem Sanctiſſimi nominis DEI, certis Regulis confectis, quàmprimum erigi curent: in qua fideles ad diuinæ maieſtatis honorem, & gloriam ſe exercentes, ſuum & Sanctorum ſuorum nomen venerari, & periuria, verba turpia, ac blaſphemias vitare, & horreſcere diſcant, & aſſueſcant. Omnes autem Chriſtifideles ad huiuſmodi ſodalitatti nomina danda vehementer hortamur; vt præcipuarum Indulgentiarum participes fieri valeant, quas fel. record. Pius Papa IV. in Bulla ea de re confecta conceſſit.

CAPVT IV.

IN cauſis fidei, vel quomodolibet ad ſanctam Inquiſitionem ſpectantibus, vt omni circumſpectione adhibita cauendum eſt, ne quiſquam calumnioſè infamiæ notam ſubeat; ita omni ſtudio, & diligentia veritas indaganda eſt: ne, qui animaduerſione in aliorum exemplum, & ſuorum delictorum pœna digni ſunt, immunes euadant. Quamobrem ſi eos, qui hæreticos, & de fide Catholica ſuſpectos non denunciant, excommunicationis pœna, vt ſupra diſpoſitum fuit, puniuntur; quantò grauioribus pœnis

ijs, qui aliquo pacto progressum causarum huiusmodi impedire non verentur, afficiendi sunt? Si quis igitur in tantum insaniæ scelus prosiliat, vt amicitiæ causa, vel alia animi passione suasus, testes ne examinentur aliò abducere, vel suadere blanditijs, aut minis deterrere, ne veritatem pandant, aut quomodocunque probationes in præiudicium veritatis impedire repertus fuerit; præter dictam excommunicationis pœnam, sciat se grauioribus subijcere supplicijs, iuxta Pij V. Constitutionem, quæ incipit: *Si de protegendis*. Testes verò, quos in huiusmodi causis examinari contigerit, postquam deposuerint, & depositionibus à se factis subscripserint, iurisiurandi religione adstringantur, nemini se ea, quæ deposuerint, & super quibus interrogati fuerint, reuelaturos: si secus deinde fecerint, præter periurij pœnas, alias etiam arbitrio nostro incurrant.

TITVLVS III.

DE LIBRIS PROHIBITIS.

CAPVT PRIMVM.



NE libris prohibitis in pusillorum scandalum, & animarum perniciem, ad nostram Diœcesim aliquo modo pateat aditus, omnibus Bibliopolis, & librorum venditoribus mandamus, vt Indicem librorum prohibitorum postremo sub Clemente VIII. die 29. Decembris Anno 1596. Romæ editum in suis officinis habeant: cuius dispositionem omnes seruare teneantur: contrafacientes non solum pœnis in eo contentis, verum alijs quoque arbitrio nostro puniemus. Ijs præterea, qui libros in nundinis venales afferunt, & exponunt, vel qui libellos impressos, siue Orationes, siue Fabulas, aut Cantilenas illi contineant, & annales prædictio-

nes circa temporum mutationes, quæ vulgò Lunaria nuncupantur, venales per plateas circumferunt, ne huiusmodi libros vendere audeant, prohibemus; nisi prius indice confecto, & nostra subscriptione approbato.

Si quis hæres, vel testamenti executor libros prohibitos iuxta prædicti Iudicis Regulas in defuncti hæreditate repererit, statim eos nobis tradere teneatur. Ideo mortuo testatore Inuentarium librorum conficere non moretur; ne sua negligentia libros vetitos fortasse domi suæ retinendo, pœnarum in dicto indice contentarum reus efficiatur.

Ne vero deuotionis prætextu pusillorum animæ decipiantur, in omnium memoriam reuocamus, non posse sine nostra licentia legi, & retineri sacram Scripturam, tam eam, quæ veteris, quàm aliam, quæ noui Testamenti pars appellatur; neque Compendium Historicum illius; neque preces Horarias Beatæ MARIAE, vel alias vulgari sermone confectas. Qui eas sine huiusmodi licentia habuerit, donec eas nobis cum effectu tradiderit, beneficio careat absolutionis.

Postremo Litanias omnes Sanctorum, & B. MARIAE, præter communes, & eas, quæ in alma Aede Lauretana decantari assueuerunt, vnusquisque sciat esse prohibitas. Poterunt tamen addi suis locis nomina Sanctorum Ecclesiæ propriæ Patronorum in communibus Litaniis; præsertim vero Sancti CATALDI, præcipui nostræ Metropolitanæ Ecclesiæ, & totius Tarentinæ Diœcesis Patroni, nomen apponant. Quod ad Astrologiæ libros attinet, Constitutionem à Sixto V. super hoc editam obseruari mandamus.



TITVLVS IV.

De dierum Festorum, & Ieiuniorum obseruatione.

CAPVT PRIMVM.



DEI Exemplo, atque institutione statis diebus à seruilibus operibus abstinendum esse, vt soli DEO cultus adhibeatur, tum diuinis documentis, tum etiam Ecclesiasticis sanctionibus admonemur. Quamobrem Dominica dies Resurrectione Domini, & Sancti SPIRITVS illustratione consecrata, eò maiori apud veteres illos Sanctissimos Ecclesiæ Patres in honore haberi cœpit, quam Sabbathi dies apud Iudæos olim fuerat; quò maius beneficium in opere redemptionis, quam in opere creationis à Deo se se recepisse iure merito arbitrati sunt. Præterea Beatæ Virginis Deiparæ MARIAE, & præcipuorum Sanctorum festi dies ab Ecclesia piè instituti sunt: vt inde ad ipsius DEI, qui gloriosus est in Sanctis suis, venerationem facilius mentes nostras attollamus: eosque, vt apud eundem pro nobis intercessores esse velint, supplices deprecemur; atque eorum virtutes, & exempla nobis proponamus; vt imitari non pigeat, quod celebrare delectat. Sciant igitur fideles omnes festis diebus ad duo præcipua se obligatos esse: primum est, vt Missæ sacrificio intersint; alterum verò, vt ab operibus seruilibus abstineant. Qui secus fecerint, præter peccati mortalis reatum, pœnas etiam in Constitutione edictali per nos edita contentas, quam præsenti decreto innouamus, se nouerint incurrisse.

Licentiæ contra dictæ Constitutionis tenorem ab alio ne concedantur per modum tolerantiæ, & permissionis, quàm à Vicario nostro Generali in ijs tantum casibus, in quibus cessante omni su-

ſpicione fraudis, vel neceſſitas vrgeat, vel pietas ſuadeat.

Si quis ex Vicarijs Foraneis, vel noſtris executoribus conniuentibus oculis, vel amicitiæ cauſa, vel donis, ſeu pecunia ſecreto acceptis feſtorum dierum inobſeruantiam aliquo modo permittere deprehenſus fuerit, priuationis officij, carceris etiam, & alijs arbitrio noſtro pœnis obnoxius ſit.

CAPVT II.

DIes, quo mercatus celebrari conſueuit, ſi in aliquem feſtum inciderit, in ſequentem transferatur; niſi aliter nos ex aliqua iuſta cauſa tolerandas eſſe iudicabimus conſuetudines earum nundinarum, quæ non ſunt ſolennes, & peractis diuinis extra atria Eccleſiarum fiunt.

Nundinarum autem abuſus in diebus feſtis, vt omnino tollatur, ſeculares Magiſtratus non ſolum vehementer hortamur, verum etiam enixè rogamus. Dum verò Miſſarum celebrationes perdurant, vt ſuſpendantur expreſsè iubemus. Eodem modo, ne diebus feſtis Fabulæ, & Comœdiæ recitentur, aut alia Theatralia ſpectacula, quæ animum à diuinis officijs, & pietatis operibus auocant, nè habeantur, omnino interdicimus.

Sileat tam apud Tribunalia Eccleſiaſtica, quàm temporalia diebus feſtis iudiciale forum in cauſis ciuilibus: lites quieſcant: & mandata Iudicum ne exequantur. Si quid contra factum fuerit, ſciant ex ſacrorum Canonum diſpoſitione, nullam habere firmitatem. In criminalibus verò ſaltem tortura reis ne inferatur: niſi fortaſſe ex vrgenti cauſa, vbi publicum bonum, & exemplaris iuſtitiæ ratio id requirere, & poſtulare videatur: quod Iudicum conſcientiæ, quam in hoc DEI timoratam fore confidimus, duximus remittendum.

Poſtremo in diebus feſtis abſtineant, quantum fieri poteſt, Notarij, & contrahentes à confectione Inſtrumentorum, & celebratione contractuum, aliarumq. ſcripturarum: vt ſine aliquo impedimento melius vacare diuinis, DEOQ. debitum exhibere cultum poſſint.

CAPVT III.

VT diei festi obseruatio à media nocte antecedente incipere, & vsque ad mediam noctem diem festum consequentem perdurare intelligatur, Parochorum officium esse volumus, vt populum ea de re sæpius instruant.

CAPVT IV.

EXecrabilem, & impium abusum, Satana tenebrarum operum auctore suadente, introductum, & (quod peius est) tot seculis receptum, & inueteratum, vt ipsa nocte, ac die Natiuitatis Domini nostri IESV CHRISTI secundum carnem, ac sequentibus festis diebus, quibus DEO ob hoc singulare beneficium gratias tum agere, tum operibus lucis referre incessanter deberemus, ludi alearum, & alij grauissimorum peccatorum seminarium priuatim, & publicè habeantur, penitus extirpare cupientes, seculares Magistratus Tarentinæ Ciuitatis, nec non alios temporales Dominos, & Barones in Oppidis Diœcesis, & eorum Officiales monemus in Domino, & districtè rogamus, vt pœnis propositis huiusmodi animarum pestem, & rei familiaris perniciem in supradictis diebus studeant funditus auertere, & fugare. Quod si rem ad DEI laudem, & gloriam tanti momenti neglexerint, sciant DEVM Optimum Maximum in extremo Iudicij die peccata omnia sua negligentia ab alijs contra huius nostræ monitionis tenorem perpetranda de manu illorum fore requisiturum.

Clerici verò, & Ecclesiasticæ personæ, qui eo tempore ludis, & aleis vacauerint, seuerissimè puniantur.

Præsens vero decretum, vt Magistratibus pro tempore existentibus innotescat, Vicarius Generalis in Ciuitate, & Vicarij Foranei per Diœcesim singulis annis in die festo Sancti Thomæ Apostoli præuia in manibus illorum eiusdem decreti traditione, procurent.

Concionatores vero; &, vbi non adsunt, animarum Curati tempore Aduentus, populum ea de re seuerissimè reprehendant, & frequenter admoneant.

CAPVT V.

IEiunium à DEO Optimo Maximo iam tunc à mundi incunabulis, cum Adæ præcepit, ne de ligno quod erat in medio Paradisi comederet, institutum, à Moyse, & Prophetis in veteri lege vsu receptum, exemplo denique Domini Saluatoris, qui quadraginta diebus, & quadraginta noctibus ieiunasse legitur, consecratum eo magis à Christianis est obseruandum, quò paratiores esse debent ad colluctationem, non aduersus carnem, & sanguinem, sed aduersus Principes, & Rectores mundi, & tenebrarum harum; cum ex his plures existere doceat Dominus, qui non nisi oratione, & ieiunio eijciuntur. Quamobrem Ecclesia Catholica præceptum sibi à DEO generaliter inductum, vt à singulis specialius exequi possit, statutis diebus, certas ieiunij leges, & aliquorum ciborum abstinentiam à SPIRITV sancto edocta ad DEI Optimi Maximi laudem, Sanctorum venerationem, atque animarum, & corporum curationem salubriter statuendas esse censuit.

Igitur ieiunia Quadragesimæ, Quattuor anni temporum, & Vigiliarum præcipuos festos dies antecedentium, necnon abstinentiam ab esu carnium in singulis sextis ferijs, & Sabbathis per annum, (festo die Natiuitatis Domini, si in illis inciderit, tantum excepto) ex præscripto Sanctæ Romanæ, atque vniuersalis Ecclesiæ sub pœna peccati mortalis seruari debere in omnium memoriam reuocamus.

CAPVT VI.

QVoniam autem facilius aliquid tum demum adimpletur, cum transgressionis occasio tollitur, ieiuniorum tempore,

& præsertim Quadragesimæ laniones conquiescant, apothecas claudant, nec, nisi secreto carnes pro infirmorum, & ægrotantium vsu tantum, prius etiam licentia in scriptis gratis concedenda à nobis impetrata, vendere audeant; extremo ieiunij die, Pascha antecedente tantum excepto. Eodem modo ab Hospitijs, Tabernis, & alijs Officinis, casei, aut cibi aliquo modo ijs temporibus vetiti omnino arceantur. Laniones verò, Caupones, & alios Apothecarios, qui contra huius decreti tenorem vendere reperti fuerint, pœnæ soluendi qualibet vice aureos duos volumus subiacere.

Præsens verò decretum, vt omnibus innotescat, Parochi vulgari lingua redditum in Dominica Quinquagesimæ singulis annis in suis Ecclesijs inter Missarũ solennia populo publicare teneãtur.

CAPVT VII.

CArnes ieiuniorũ tempore sine nostra, seu Vicarij nostri Generalis licẽtia in scriptis gratis cõcedenda nemo comedere audeat. Licentiæ autem huiusmodi sine vtriusque Medici consilio ne concedãtur. Ideo Medicos omnes, & Confessarios districtè in Domino monemus, ne in huiusmodi consilijs se faciles præbeãt: neue dictis illorum, qui carnes comedere appetunt, & deliciarum patrocinium in accusationem non merentis stomachi habent, fidem præbeant: sed re prius studiosè, & diligenter examinata, & necessitate cognita, omni prorsus placendi studio, & displicendi metu posthabito, tum demum ciborum in ieiunijs vesci solitorum abstinentiam præcipiendam, & esum carnium concedendum esse iudicent, & consulant: scientes, si secus fecerint, de eo, quod alij ex eorum consilio gulæ indulgendo suauiter comederint, dentes suos in extremo iudicij obstupescant necesse esse.

Ab huiusmodi verò licentiæ impetratione improuisi casus, & miserabiles personæ, quæ vrgenti victus necessitate laborant, excipiuntur: quibus, si fieri poterit, testimonium Parochi in scriptis satis esse indulgemus.

CAPVT VIII.

INcongruum est, vt quod in alijs Parochialibus Ecclesijs Diœcesanis laudabiliter exequitur, in Ecclesia Metropolitana, quæ, vt aliarum mater est, ita exemplar quoque rerum Ecclesiasticarum benè gerendarum esse deberet, negligatur, aut omittatur. Mandamus igitur in Dominicis per annum, inter Missarum solennia Euangelio, vt moris est decantato, festos dies, & Vigilias, quæ infra hebdomadam inciderint, in dicta Metropolitana Ecclesia per iuniorem canonicum alta voce populo denunciari.

In alijs vero Collegiatis Diœcesanis Ecclesijs exemplo eiusdem nostræ Metropolitanæ Festa Mobilia in die Epiphaniæ iuxta Pontificalis Romani normam solenniter publicentur.

CAPVT IX.

NVptiæ ieiuniorum tempore, in quibus ex Sacri Concilij Tridentini decretis eas celebrari vetitum est, ne fiant. Procul absint epulæ, etiam permissorum ciborum. Cessent ludi, choreæ, saltationes, atque alia huiusmodi: Quæ, si peccata non sunt, certè peccatorum incitamentum, & seminarium esse solent; & animum à DEO, & à rebus cælestibus ad terrenarum rerum concupiscentiam auertunt, & auocant. Quamobrem omnes vtriusque sexus fideles in Domino rogamus, & obtestamur, vt salutis propriæ, & beneficiorum DEI memores, tempora festorum dierum, & ieiuniorum acceptabilia ne despiciant, diesq. salutis otiosè pertransire non permittāt: in toto corde suo conuertantur ad DEVM; eleemosynas in sinu pauperum abscondere satagant; orationibus vacent; in pietatis officijs, & charitatis operibus se frequenter exerceant. Diuinum verbum sæpius audire non grauentur: sed potius auidè singulis diebus prædicationi studeant interesse: non raro Pœnitentiæ sacramento conscientias lustrent, & Sanctissimæ Eucharistiæ communione se muniant: illud Apostoli in memoriam

reuocantes: *Si tantam neglexerimus salutem, quomodo nos iram effugiemus?*

CAPVT X.

VT autem scire quilibet facile possit, quinam festi dies, & quæ ieiunia seruanda sunt, Kalendarium infrascriptum duximus apponendum. Per hoc autem neminem ab illorum ieiuniorum, & festorum dierum obseruatione, seu ciborum abstinentia absoluere intendimus, quæ forent ex laudabili consuetudine in locis particularibus introducta, quanquam in infrascripto kalendario annotata non reperiantur.

IANVARII FESTA.

1 Circuncisio Domini.
6 Epiphania, siue Apparitio Domini nostri.

FEBRVARII.

2 Purificatio Beatissimæ Virginis MARIÆ.
24 S. Mathias Apostolus.

MARTII.

7 S. Thomas de Aquino.
8 Canonizatio S. CATALDI.
25 Annunciatio Beatissimæ Virginis MARIÆ.

APRILIS,

25 S. Marcus Euangelista.

MAII.

1 SS. Philippus, & Iacobus Apostoli.
3 Inuentio Sanctæ Crucis.
10 Inuentio Sancti CATALDI.

IVNII.

15 SS. Vitus, Modestus, atque Crescentia.

Nati-

24 Natiuitas S. Ioannis Baptistæ.
29 SS. Petrus, & Paulus Apostoli.

IVLII.

2 Visitatio Beatissimæ MARIÆ Virginis.
22 S. Maria Magdalena.
25 S. Iacobus Apostolus.

AVGVSTI.

10 S. Laurentius.
15 Assumptio Beatissimæ Virginis MARIÆ.
25 S. Bartholomæus Apostolus.
29 Decollatio S. Ioannis Baptistæ.

SEPTEMBRIS.

8 Natiuitas Beatissimæ Virginis MARIÆ.
19 S. Ianuarius Episcopus.
21 S. Matthæus Apostolus.
29 Apparitio S. Michaelis Archangeli.

OCTOBRIS.

4 S. Franciscus de Assisio Confessor.
18 S. Lucas Euangelista.
28 SS. Simon, & Iudas Apostoli.

NOVEMBRIS.

1 Festum Omnium Sanctorum.
6 S. Leonardus Confessor intra Ciuitatem, & Oppida.
11 S. Martinus Episcopus intra Ciuitatem.
30 S. Andreas Apostolus.

DECEMBRIS.

8 Conceptio Beatissimæ MARIÆ Virginis intra Ciuitatem.

13 S. Lucia Virgo, & Martyr intra Ciuitatem.
21 S. Thomas Apostolus.
25 Natiuitas Domini nostri IESV CHRISTI.
26 S. Stephanus Protomartyr.
27 S. Ioannes Apostolus, & Euangelista.
28 SS. Innocentes.
31 S. Syluester Papa.

FESTA MOBILIA.

Feria V. Dominicæ Passionis, vsque ad Nonam.
Pascha Resurrectionis Domini nostri IESV CHRISTI, & duo sequentes dies.
Ascensio Domini nostri IESV CHRISTI.
Pentecostes, & duo sequentes dies.
Festum Corporis CHRISTI.
Dominici dies omnes.

IEIVNIA Vero seruanda sunt diebus infrascriptis.

Diebus Quadragesimæ, Dominicis exceptis.
Quatuor anni temporibus.
Vigilia s. Mathiæ Apostoli.
Vigilia Pentecostes.
Vigilia s. Ioannis Baptistæ.
Vigilia ss. Petri, & Pauli.
Vigilia s. Iacobi Apostoli.
Vigilia s. Laurentij.
Vigilia Assumptionis B. MARIÆ Virginis.
Vigilia s. Bartolomæi Apostoli.
Vigilia s. Matthæi Apostoli.
Vigilia ss. Simonis, & Iudæ Apostolorum:

Vigi-

Vigilia Omnium Sanctorum.
Vigilia s. Andreæ Apostoli.
Vigilia s. Thomæ Apostoli.
Vigilia Natiuitatis Domini nostri IESV CHRISTI.

TITVLVS V.

De Supplicationibus, Processionibus, & Orationibus.

CAPVT PRIMVM.



D supplicationes generales tam ex præcepto Sanctæ Matris Ecclesiæ, quàm ex alia publica causa, à nobis, prout occasio feret, declaranda, ex Ceremonialis Episcoporum norma solenni ritu celebrandas Clerus tam secularis, quàm Regularis vocatus in Ecclesia nostra Metropolitana in Ciuitate, & in alijs collegiatis Ecclesijs per Diœcesim statuto tempore conueniat. Qui venire recusauerint, auctoritate Sacri Concilij Tridentini compellantur. Pro absentibus vero, & negligentibus habeantur, qui, antequam ex Ecclesia Clerus progrediatur, non affuerint.

Vnusquisque autem vestes ordini, & dignitati congruentes afferat: nullus Clericus secularis absque superpellicio Processionibus se intermisceat: bini, & bini crucem antecedentem sequentes pedetentim, & grauiter incedant, atque ordinem non perturbent: non colloquia inter se, aut cùm laicis per viam ineant: non in risum, & cachinnos prorumpant: non oculos ad fenestras attollant, aut huc, vel illuc illos conijciant: neque ad aliquam rem curiosè spectandam in via subsistant, nec proprium locum deserant. Sed potius oculis ad terram demissis, modestè, humiliter, & deuotè, manibus ante sinum complicatis, non solum in preci-

bus, & Psalmis alternatim recitandis ab erroribus committendis, verum etiam à scandalo populo quomodolibet caueant inferendo. Quin omni cura, & diligentia exemplum virtutis, & deuotionis illi præbere studeant, & DEO Optimo Maximo dignè preces suas offerre conentur: Ne, cum illi, vel ad grates pro collatis donis referendas, vel ad gratiam, & beneficia impetranda psalmis, & precibus benedicunt, opus eius negligenter faciendo, maledictionem ab eo potius consequantur.

Hæc, quæ ad componendas procedentium personas pertinent, non solum in generalibus Processionibus, verum etiam in priuatis, aut per annum occurrentibus, aut mortuorum, aut in deferendo Sanctissimo Eucharistiæ sacramento ad infirmos obseruari mandamus.

Qui irreuerenter, & indeuotè contra huius Decreti saluberrima monita in Processionibus se gesserit, corrigatur: si vero pluries monitus incorrigibilis appareat, nostræ sentiet vltionis rigorem.

CAPVT II.

CRux nunquam à laica persona, sed à Clerico superpellicio induto in processionibus tam publicis, quàm priuatis deferatur: quam duo Acolyti, ceroferaria cum candelis accensis deferentes, saltem in publicis processionibus, & in ijs, quæ in diebus solennibus fieri consueuerunt, antecedant.

CAPVT III.

PRocessio generalis in Ciuitate à nostra Metropolitana Ecclesia, & per Diœcesim à Collegiatis Ecclesijs, & maioribus procedere incipiat; & ad eandem, vnde incepit, postea reuertatur.

Preces verò, & Litaniæ non cursim, & velociter, sed grauiter & punctatim, vt voces incessui, & compositioni personarum respondeant, recitandæ sunt. Studeat vnusquisque vocem suam ita moderari, vt cum cæteris concentum, non dissonantiam pariat;

ne,

ne, dum populum ad deuotionem excitare debet, risum prouo-
cet. Denique Litanias inter canendum ita partiantur omnes, vt
tempus tam in eundo ad Ecclesiam, in qua Missa de tempore ce-
lebrari consueuit, quàm in redeundo ad Ecclesiam, vnde proces-
sio egressa est, in ipsis recitandis totum conteratur. Illud in pri-
mis animaduertentes, vt quemadmodum Clerus Ecclesiæ Maio-
ris, vnde processio proficiscitur, non ante ad procedendum surge-
re debet, quàm post decantatam precationem (*Sancta Trinitas
vnus Deus miserere nobis*) ita quoque curandum, vt non prius de-
ueniatur ad Versiculum (*Peccatores, te rogamus audi nos*) quàm
idem Clerus fuerit Ecclesiam ingressus: ita vt cum duo Cantores
dicere debent (*Peccatores*) in illud tempus incidat, quo ante alta-
re maius omnes genuflectere posſint, & genuflectant.

CAPVT IV.

IN processionibus hortamur omnes siue laicos, siue Clericos, tam seculares, quàm regulares, ne de præcedentia quæstiones interponant: & si quas oriri contigerit, dictis nostris ex Concilij Tridentini præcepto acquiescendo, statim sopire debeant: ne, quod Satanas ad opus DEI interturbandum excitare procurat, cum pusillorum scandalo, ob alicuius superbiam, & pertinaciam vires assumat.

Populus item Ecclesiasticis personis in processionibus non sit scandalo, aut impedimento: sed ea, qua decet, reuerentia, & mentis affectu illis interesse, & Clerum antecedentem non solum corpore, verum etiam vna, eademq. animi conspiratione prosequi studeat.

Fœminæ viris in eundo non intermisceantur: sed, quantum fieri potest, seorsum, & separatè incedant: ita demum tota Ecclesia in processionibus, vt castrorum acies ordinata, coram Duce suo CHRISTO satagat apparere, vt facilius eius ope hostes suos, & aduersarios prosternere posſit, & stipendia ab eo consequi mereatur. Nullus autem, qui processioni interfuerit, prius ab Ec-

cleſia diſcedat, quàm precibus omnibus, & orationibus abſolutis, & à Nobis, ſi præſentes eſſe contigerit, benedictione accepta.

CAPVT V.

OMni tempore, quo contingat Sanctiſsimum Euchariſtiæ Sacramentum, vel ad infirmos, vel alijs de cauſis circumferri, omni reuerentia, & deuotione id præſtari debet. Verum quoniam improuiſi caſus, aut alia impedimenta ſolenniter hoc fieri ſemper non patiuntur, ſaltem in feſto die Sanctiſsimi Corporis CHRISTI, ad hoc ſpecialiter inſtituto, omni induſtria, & diligentia curandum eſt, vt tantum Sacramentum magnificentius, & honorificentius, quàm fieri poterit, deferatur.

Præuideantur itaque diligenter, & accuratè præparentur, ac ſtudiosè ea omnia exequantur, quæ in Ceremoniali Epiſcoporum plenius continentur: ijs tantum, quoad delationem vmbellæ, & alijs huiuſmodi exceptis, quæ ex laudabili conſuetudine ſingulis in locis forent aliter introductæ, ne controuerſiam aliquam ſuper his oriri contingat.

Nihil ludicrum in vijs, per quas proceſsio tranſire debet, interponi permittatur.

Prophanæ picturæ, ſiue quæ ſecularium hominum vtriuſque ſexus perſonam ſpectandam oculis obijciant, hinc inde non appendantur. Summorum Pontificum, Cardinalium, & Epiſcoporum imagines tantum apponi permittantur.

Statuæ ex improuiſo compoſitæ, laruis, & veſtibus accommodatæ, quæ Hiſtoriam aliquam, licet ſacram, repræſentant, ob periculum excitandi quandoque riſum, ne fiant.

Sed potius aulæis, aut pannis ſericis, & laneis, vel ex corio aurato, & argentato, prout cuiuſcunque vires patiuntur, aut ſaltem ramis, & frondibus, Sanctorum imaginibus, & picturis ſacris ſanctam Domini paſsionem præcipue repræſentantibus, hinc inde ornentur muri: via floribus ſternatur, grati odores aerem vndique ſuauiorem reddant, pulſentur campanæ, ſuis denique locis ex-

plodan-

plodantur Bombardæ: vt, transeunti Domino, exquisitis modis externis omnes exultent, quem interno cordis affectu humiliter venerari, & adorare debent.

Cum verò ad infirmos Eucharistiæ Sacramentum deferri contigerit, adsit tintinnabulum, vmbella, & luminaria præcedentia, & subsequentia: Sacerdos verò Pluuiale induat: tum genibus flexis ter illud incenset: deinde, posito mundo velo serico super custodiam, capite detecto psalmos, & preces recitando cruce præcedente, & clerico cum thuribulo Sacramentum perpetuò incensante ad infirmos deferat, & referat.

Luminaria autem cerea ad minus quatuor esse debent: quæ ita accommodentur, vt perflante vento difficile extingui possint. Præter hæc laternæ duæ deauratæ portentur, vt in ijs lumen perpetuò valeat conseruari.

Sacerdos plures particulas, non vnam tantum, sanctissimæ Eucharistiæ deferat; ne Populus ipso redeunte vasculum adoret. Si autem redire cum vasculo vacuo quandoque contingeret, ab incensatione, ab vmbellæ gestatione, & à pulsatione tintinnabuli cessetur, & luminaria extinguantur.

Populum verò hortamur, vt impiger ad sociandum Dominum esse velit: quin statim occurrat, & si quispiam in via processionem aliquando offenderit, statim omnibus negotijs prætermissis Regum Regi dignam studeat exhibere seruitutem: & pro infirmo ad eum preces offerat; vt illi corporis, animæq. salutem largiri dignetur.

Eos verò, qui Societati huius sanctissimi Sacramenti sua nomina dederunt, districtè monemus, ne, quod onus voluntariè susceperunt, negligenter exequendo, diuinæ vltionis retributionem incurrant: & in perditionem animarum verti serò sentiant, quod pro salutis suæ remedio exequi nunc facile possunt.

CAPVT VI.

INter varia orandi genera illud ex Ecclesiastico instituto maximum haberi consueuit, quod quadraginta horarum spatio

comprehenditur : in quo ſanctiſsimo Euchariſtiæ ſacramento publicè expoſito, ante Domini præſentiam ſtantes, vt magis ad eius venerationem excitamur, ita eum peccatis noſtris fore magis propitium iure confidere poſſumus ; cum nobis appropinquantem non ſolum mentis, ſed carnis etiam oculis eum intuemur. Vt igitur feſtos dies Paſchatis, & Natiuitatis Domini noſtri IESV CHRISTI debita cum veneratione præueniamus, ſtatuimus, vt in noſtra Metropolitana Eccleſia, & in alijs Eccleſijs Diœceſanis Collegiatis ſaltem bis in anno ſupradicta oratio habeatur, incipiendo videlicet à die feſto S. Thomæ, & à Dominica Palmarum, & terminando eam reſpectiuè in Vigilia Natiuitatis Domini hora Veſperarum, & in feria quarta Hebdomadæ Maioris, hora qua matutina tenebroſa incipienda erunt.

Deceret ſanè, vt inceſſanter, nulla interpoſita mora, Oratio iſta quadraginta horarum ſpatio perduraret : verum quia, miſera temporum, & morum ſuadente conditione, à negotio perambulante in tenebris maximè cauendum eſt, ne vlla obſeruandi caliginem adulteri oculos facultas relinquatur, conſiderantes odiſſe lucem eius, qui malè agit, eſſe proprium, expreſsè mandamus, vt aduentante nocte oratio ſuſpendatur, & Sacramentum intra Cuſtodiam reponatur ; & prima luce deinde ibidem publicè de nouo exponatur, cœptam orationem proſequendo, quouſque integro quadraginta horarum ſpatio in vniuerſum fuerit terminata.

Supradictis verò diebus, vel quandocunque quauis alia de cauſa prædictam Orationem haberi contingat, non aliter fieri mandamus, quàm proceſsionali ritu, luminibus pluribus accenſis, ſaltem circumeundo ipſam Eccleſiam, Sacramentum ad locum deſtinatum ſolenniter deferatur.

Denique fideles omnes vtriuſque ſexus hortamur, vt ad Diuinæ maieſtatis præſentiam oraturi, non niſi mundo corde, purgata prius conſcientia confeſsione Sacramentali, & Sacra Communione refecti, atque muniti accedant ; vt illius conſpectu digni appareant, & facilius exaudiri mereantur.

CAPVT VII.

OMnes autem admonitos esse volumus, ne cum tintinnabulum in aurora, meridie, & vespere pulsatur, Beatissimam Virginem negligant salutare; vt eius opem in suis necessitatibus facilius impetrare, & indulgentias à Summis Pontificibus concessas consequi possint.

Prima hora noctis, tintinnabulum ad excitandos fideles, vt pro animabus defunctorum preces suas ad DEVM effundant, pulsari consueuit; in cuius etiam orationis gratiam Summi Pontifices non minimas Indulgentias concesserunt. Nemo igitur, defunctorum saluti laborem proficuum orandi detrectet; sed potius nouissima sua memorando à peccatis se studeat præseruare.

TITVLVS VI.

DE ELEEMOSYNIS ET QVAESTORIBVS.

CAPVT PRIMVM.



ELEEMOSYNA, qua CHRISTI fideles charitatem in pauperes præcipuam virtutem ostendunt, & peccata commissa redimunt, & à peccatis, & morte liberantur, eò magis commendanda est, quò pessimo auaritiæ vitio præcipuè aduersatur, quam Idolorum seruitutem, & omnium malorum radicem Apostolus appellauit: Verum Satana operà lucis in tenebras vertere satagente, eleemosynarum occasione plures abusus introducti sunt, quibus hoc præclarissimum opus, auaritiæ sordibus plurimum offuscatur: Hinc nonnullæ quæstuandi artes turpis lucri gratia emanarunt. Quarum abusum, vti grauissimorum peccatorum seminarium, cum frustra

corrigere, & ad bonam frugem reducere varijs temporibus Ecclesia Catholica conata esset, demum Concilium Tridentinum, tanquam incorrigibilem, penitus euellendum, & Quæstorum nomen extirpandum, ac supprimendum esse censuit.

Sed quoniam plurimi ementitis litteris, aut, si quas obtinent, illis abutendo, contra eiusdem Concilij tenorem adhuc huiusmodi artem exercere, & Indulgentias publicare non cessant; &, quod peius est, speciales facultates à casibus reseruatis absoluendi se habere dictitantes, dum beneficium absolutionis impendunt, maleficium operantur, & pusillorum animas inextricabilibus ferè nodis illaqueant; huic malo opportunè duximus prouidendum. Eiusdem igitur Sacri Concilij Decreto inhærendo, vt in tota nostra Tarentina Diœcesi eius dispositio vndequaque inuiolabiliter obseruetur, expresè iubemus; ne huiusmodi Quæstores sine nostra licentia in scriptis gratis concedenda vllatenus admittantur. Qui sine huiusmodi licentia quæstuare, Indulgentias publicare, aut Pœnitentiæ sacramentum à casibus reseruatis absoluendo ministrare ausus fuerit, pro delicti ratione, & conditionum aggrauantium qualitate seuerisimè puniatur.

Licentiæ vero eleemosynas colligendi Diœcesanis tantum probatis, & ijs externis concedantur, qui non vnum, sed plura suæ virtuiis, & probitatis fide digna testimonia secum deferant, & sanctæ Sedis Apostolicæ fuerint auctoritate muniti. Non tamen ijs Indulgentias publicandi, aut prædicandi facultas detur; sed in Indulgentiarum publicatione, ea quæ à Tridentino Concilio tradita sunt omnino seruentur.

Potestas autem absoluendi à casibus nobis reseruatis illis omnino interdicatur: neque Pœnitentiæ sacramentum aliquo modo ministrare posint; nisi, præuio diligenti examine, & omnibus maturè consideratis, nobis visum fuerit super hoc specialiter prouidere. Qui secus, quàm hoc decreto cautum est, absolutionem susceperint, se peiori vinculo irretitos fore sciant.

Quamobrem locorum piorum administratores Diœcesanos nostros vehementer hortamur, vt ad conquirendas, & colligendas

eleemosynas non eligant nisi probatos, bonis moribus præditos, & quos verisimile sit non pro suo commodo, sed pro iniuncti muneris fideli executione laboraturos, & humiliter, ac modestè officium suum impleturos.

Si vero aliquem nequiter, & importunè, & malis artibus eleemosynas colligere, & quæritare, aut licentia à nobis impetrata abuti, vel illius terminos excedendo ad illicita etiam progredi contingat, pro culpæ modo eum puniendum esse decernimus.

CAPVT II.

CVm incongruum sit opera pietatis vnum alteri impedimento esse; pauperes, qui eleemosynas quæritando viuunt in Ecclesijs minimè id facere permittantur: ne diuina officia interturbent, neue animos fidelium à Missæ sacrificio, cui intersunt, à prædicatione verbi DEI, & ab orationibus, quas ad DEVM effundunt, distrahant, quemadmodum Sanctæ memoriæ Pij V. Constitutione cauetur.

Quo etiam fit plerunque, vt temporis, loci, ac petentis importunitate eleemosyna non sine aliqua indignatione animi denegetur. Ideo ad ianuas Ecclesiarum sedere, vel stare contenti sint, vt à fidelibus facilius, cum deuotè Ecclesiam ingrediuntur, vel ab ea exeunt, eleemosynas impetrent: atque ita propriæ necessitati dum consulunt, largientium commodo, & diuino cultui obsequantur.

Cantilenas autem, & orationes memoriter recitare, & canere huiusmodi homines non audeant, nisi prius fuerint à Vicario nostro Generali in Ciuitate, & à Vicarijs Foraneis per Diœcesim reuisæ, & approbatæ: vt si quid in ipsis, aut scandali, aut ridiculi, aut erroris contineretur, emendari posit.

CAPVT III.

CVm decreto Sacri Concilij Tridentini cautum sit, vt administratores tam Ecclesiastici, quàm laici fabricæ cuiusuis Ec-

clesiæ

clesiæ etiam Cathedralis, Hospitalis, Confraternitatis, Eleemosynæ, Montis Pietatis, & quorumcunque piorum locorum singulis annis teneantur reddere rationem suæ administrationis Ordinario, aut, vbi ex consuetudine, aut priuilegio, aut ex constitutione aliqua loci alijs ad id deputatis ratio reddenda esset, cum ijs etiam adhibeatur Ordinarius; vt pijs cuiuscunque generis distributionibus, & Eleemosynis, quæ vel ex vltima voluntate, vel ex consuetudine, vel ex alia ratione præstari debent, satisfactum esse, & eleemosynas non in proprium, aut familiarium suorum commodum, aut in amicorum gratiam (prætextu personarum, quas accipere eleemosynas publicæ honestatis causa pudeat) sed verè in indigentium vtilitatem, & subuentionem fieri nobis plenè constet; statuimus, vt quod à supradictis administratoribus in posterum eleemosynæ nomine, aut alias piè in pauperes locorum, aut in singulis eiusdem vniuersitatis homines, aut in familias erogandum, distribuendumq. erit, quidquid illud sit, non nisi adhibitis duobus à dictis Vniuersitatibus ad hoc electis, & à Vicario Generali in Ciuitate, & à Vicarijs Foraneis per Diœcesim approbandis & Parocho loci, & ipsius loco in Ciuitate aliquo ex gremio Capituli per nos deputando, in opera pietatis erogetur, & conferatur: cuius erogationis, & distributionis ratio in præcipuum certum librum vnà cum subscriptione eorundem, vt supra, deputatorum notato die, mense, & anno referatur. Qui deinde ex supradictis administratoribus secus, quàm hoc decreto sancitum est, eleemosynas erogauerit, & distribuerit, de proprio teneatur.

Ne vero Archiepiscopi opera in computis singulis annis reuidendis desideretur. Rationalem generalem ad hunc effectum in tota Diœcesi ab eodem Archiepiscopo, pro eius arbitrio duraturum, decernimus eligendum.



TITVLVS VII.

DE PRAEDICATIONE VERBI DEI.

CAPVT PRIMVM.



ERBVM DEI gladium spiritus appellauit Apostolus. Hoc certè gladio spiritualia nequitiæ superantur; & dum vsque ad diuisionem animæ, & spiritus pertingit, obdurata peccatorum corda ita scinduntur, vt veritate agnita, diabolica fraude reiecta, carnis, ac mundi illecebris superatis, DEO adhærere bonum esse sibi existiment, & eius mandata seruando ad cælestem patriam aspirare conentur. Eundem gladium, ad vniuersum mundum DEO subiugandum, tunc Dominus instituit, cum ipsemet prædicauit, & adhuc viuens alios ad prædicandum misit, & in Cœlum ascensurus discipulis, vt prædicarent Euangelium omni creaturæ, præcepit. Quo salutari instituto infideles ad fidem, quæ ex auditu est, conuertuntur; & fideles, qui ad peccata reuersi sunt, ad pœnitentiam reuocantur: vt eodem gladio CHRISTO in cordibus hominum regnum acquiri, & semel acquisitum conseruari intelligamus. Quamobrem, vt à fidelium animis regimini nostro commissorum Diabolus hostis arceatur, scuto fidei, & galeæ salutis gladius quoque spiritus adiungendus est; qui à strenuis CHRISTI militibus, seu potius antesignanis non in incertum, & aerem verberantibus euaginatus, & vibratus, viria effugare, & diaboli vires prosternere, atque in mentibus hominum propugnacula virtutum argentea ædificare; & vexilla, atque insignia CHRISTI erigere valeat.

Præcipimus itaque, vt in tota nostra Diœcesi diuinum verbum in Ecclesijs statutis à sacro Concilio Tridentino diebus populis

prædi-

prædicetur. Verum in Ecclesia nostra Metropolitana præter tempus Quadragesimæ, & Aduentus, in diebus quoque Dominicis per annum conciones habeantur. In alijs autem Parochialibus Ecclesijs Diœcesanis, aut saltem Collegiatis, si ad exemplum Metropolitanæ Ecclesiæ idem seruaretur, vt maximè placeret, ita si animarum Curati in suo munere in hac parte exequendo negligentes fuerint, certo scire debent se nostræ animaduersionis rigorem ex præcepto eiusdem sacri Concilij Tridentini non euasuros.

CAPVT II.

NE aliquis tempus acceptabile suæ conuersionis ad DEVM, quod in audiendis prædicationibus, & exhortationibus consistit, ammittat; statuimus, vt cum diuinum verbum in Ecclesia prædicatur, per illud temporis spatium cessetur à celebratione Missarum tam solennium, quàm priuatarum, & cæterorum diuinorum officiorum recitatione.

Iubemus pariter, vt omnes apothecæ claudantur, ad hoc vt suspensis huius mundi negotijs cœlesti mercaturæ vnusquisque animæ suæ aperiat officinam.

Præterea seculares Magistratus hortamur, & obsecramus, vt Edicto publico per totum Quadragesimæ tempus antemeridianis horis, executionum ciuilium effectum suspendere, & debitoribus ambulandi securitatem concedere velint; ne propter rerum temporalium obligationes impediantur, quominus Satanæ laqueis, quibus irretiti tenentur, se liberare, & ad æterna bona consequenda progredi queant.

CAPVT III.

EPiscopos non impeditos ex iniuncti sibi muneris obligatione ad diuini verbi prædicationem per se ipsos exercendam teneri Sacro Tridentino Concilio expresè ita decernente docemur. Quod officium, vt nos libenter exequimur, ita successores quoque

nostros

nostros idem facturos esse sperandum est. Ad Archiepiscopum autem prædicantem audiendum eò maiore frequentia omnes conuenire debent, quò proprij Pastoris, non mercenarij, aut alieni vocem sunt audituri. Ne igitur ab eius prædicatione populus distrahatur, Archiepiscopo prædicante omnibus alijs prædicatoribus eodem tempore prædicandi facultatem esse volumus interdictam, atque suspensam.

CAPVT IV.

CVm verò, docente Apostolo, ad prædicationis munus nemo accedere debeat, nisi mittatur; Concionatoribus omnibus absque nostra approbatione, & licentia prædicandi officium expresse interdicimus, & prohibemus; ideo Ecclesiæ Curati, & Vicarij Foranei neminem ad prædicandum admittant, qui nostræ concessionis tenorem in scriptis non exhibuerit.

Regularibus verò cuiuscumque Ordinis, nisi à suis Superioribus de vita, & moribus, & scientia examinati, & approbati fuerint, etiam in Ecclesijs sui Ordinis, prædicandi munus exercere non permittantur: Licentia verò huiusmodi obtenta personaliter se coram nobis præsentare, & benedictionem prius quàm prædicare incipiant, accipere teneantur: In alijs verò non sui Ordinis Ecclesijs, etiam licentia, vt supra à suis Superioribus obtenta, non prius prædicare illis permissum sit, quàm à nobis quoque licentiam, & facultatem huiusmodi impetrauerint. Cæterum contradicente Episcopo etiam in Ecclesijs suorum Ordinum, quemadmodum Sacri Concilij Tridentini decreto cauetur prædicare non debent.

Omnes autem Concionatores quemamodum diuini verbi prædicationi non prius se committere debent, quàm se coram nobis præsentauerint, & nostram benedictionem acceperint; ita peracto prædicationis cursu, iterum coram nobis se præsentare non grauentur, quasi villicationis suæ rationem reddituri, vt nos etiam de ijs rebus certiores faciant, quæ illis emendatione, & correctione nostra digna esse visa fuerint.

CAPVT V.

COncionatores in tota nostra Diœcesi non ab alio, quàm à nobis eligantur, quibus ex sacrorum Canonum dispositionibus hoc munus conuenit. Si verò ex consuetudine Officiales Vniuersitatum, quæ eleemosynas concionatoribus subministrant, illos eligerent, sciant tamen apud nos esse eos approbandi, aut reprobandi facultatem. Cum igitur euenire facile posit, vt aliquis tanquam minus idoneus reprobetur, ne illo casu Ecclesias sine prædicatore debito tempore remanere contingat, mandamus omnibus Vniuersitatibus, ex laudabili consuetudine talem nominandi facultatem obtinentibus, quatenus per totum mensem Nouembris antecedentem Concionatorem nominare non negligant, quò de alio opportuno tempore prouideri possit, in euentum in quem nominatum reprobari contingat.

CAPVT VI.

NVllus ex Concionatoribus, etiam Regularibus, etiam in Ecclesijs exemptis, sine nostra, vel Vicarij nostri Generalis licentia, Indulgentias, siue aliquid aliud simile publicare præsumat. Concionatores autem Regulares hortamur, vt eos pauperes, vel pia loca pro eleemosynis commendent, quos, & quæ Episcopus, vel Vicarius Generalis in Ciuitate, vel Foraneus, aut Parochus in Diœcesi illis significauerint; Cæteris autem Concionatoribus, vt hæc obseruent, omnino præcipimus.

CAPVT VII.

COnciones nocturno tempore, etiam de salutifera morte Domini Saluatoris in feria quinta, vel sexta Maioris hebdomadæ nunquam habeantur.

Fœminæ à viris separatim concionibus intersint: &, si fieri po-

terit; aut tela, aut aliquo alio impedimento aspectus virorum, & mulierum inter se prohibeatur. Quod etiam, vt Regulares in suis Ecclesijs exequantur, vehementer hortamur.


CAPVT VIII.

Concionatores verò omnes admonemus, vt quod verbis annunciaturi sunt, factis etiam comprobent; nequorum vita despicitur, eorum prædicatio contemnatur: cum bene viuendi ratio perpetuum sit quoddam prædicandi genus: & quoniam à CHRISTO Domino prædicandi potestatem acceperunt, eum imitari conentur, qui prius cœpit facere, & postea docere. Auaritiæ, & turpis lucri suspicione in primis careant; ne proprijs commodis potius, quàm aliorum saluti operam dare videantur. Commercia fœminarum cuiuscunque generis deuitent. Studeant auditores non in persuasibilibus humanæ sapientiæ verbis, sed in virtute spiritus iuuare potius, quàm ijs placere. Nihil ludicrum, vel facetum, aut quod ostentationem sui ipsius præseferat, ad populum deferant: sed Euangelium DEI, & sanam doctrinam iuxta Apostoli monita ad Timotheum, & Titum seriò, efficaciter, & in simplicitate sermonis ita annuncient; vt auditores non laudatores, aut admiratione pleni, sed contristati ad pœnitentiam, & meliores à prædicatione discedant. A contentionibus inter se, si plures in eodem loco prædicent, omnino abstineant; ne si se inuicem mordeant, fructum seminis verbi DEI absumant. Inutiles quæstiones deuitent. Si de Conceptione Beatissimæ Virginis concio habenda est, intra Constitutionis Pij Papæ V. terminos se contineant. De Auxilijs controuersia expressè non proponatur: sed cum de gratia DEI agendum erit, Arausicani Concilij decretis pro certa regula vtantur. Si de libero arbitrio sermo inciderit, Tridentini Concilij limites non excedant. Omnis de Prædestinatione tractatus in eum finem terminet, vt in altero seculo bonis operibus præmium, malis vero pœna rependenda sit. Hæreticorum errores, nisi necessitas vrgeat, non referant, sed leuiter attingant,

& clarè confutent. Magiſtratus ſpirituales, & ſeculares publicè non reprehendant, neque de erratis, aut vitijs redarguant: ſed priuatim moneant, & corrigant; ne illorum quibus parendum, & ſubiacendum eſſe Petrus, & Paulus glorioſi Principes Terræ docuerunt, populo, vel odibiles, vel contemptibiles reddant. Meminerint denique ſpecioſos eſſe debere pedes euangelizantium pacem, euangelizantium bona: ſatagant in mentibus hominum parare viam Domino; atque ita rectas facere ſemitas ei, vt cum verba exhortationis præcurrant, in habitaculum mentis audientium Dominus veniat. Ne, ſi ſecus fecerint, cum alijs prædicauerint, ipſi reprobi efficiantur, & ad alios conuertendos reddantur inefficaces.

CAPVT IX.

CVm autem ore veritatis doceamur, eum, qui Verbum DEI non audit, ex DEO non eſſe; omnes vtriuſque ſexus fideles ad verbum DEI frequentius quàm fieri poteſt audiendum hortamur: monentes in Domino Patresfamilias, vt filias ſuas diuino verbo, præcipuo ſpiritualis vitæ alimento, carere vllo pacto, etiam publicæ honeſtatis prætextu, non patiantur; ſed reiecto huiuſmodi prauo abuſu, opera Satanæ ſpecie honeſti introducto, eas velata ſaltem facie ad audiendum verbum DEI mittant; vt vno eodemq. tempore, & mundi honeſtati, & animæ ipſarum ſaluti conſulatur. Magiſtratus verò, & cæteros, qui publicam perſonam repræſentant, præcipuè rogamus; vt quibus præſunt poteſtate, & dignitate, virtute quoque præluceant; & exemplo ſuo populum ad audiendum DEI Verbum magis accendant. Clerici verò, vt in ſuis Eccleſijs prædicationi interſint, ſub pœnis arbitrio noſtro infligendis diſtrictè iubemus.



TITV-

TITVLVS VIII.

DE DOCTRINA CHRISTIANA.
CAPVT PRIMVM.



T adultis ſolidus verbi DEI cibus non eſt ſubtrahendus; ita pueris, qui propter animi imbecillitatem nondum eſcam comedere poſſunt, potus lactis doctrinæ Chriſtianæ exemplo Apoſtoli eſt porrigendus. Vt igitur teneræ puerorum mentes rationabiles ſine dolo, quaſi agni nouelli, qui modo venerunt ad fontes, & claritate diuinæ gratiæ repleti ſunt, lactis potum, quod concupiſcere debent, in noſtra Diœceſi Tarentina à Paſtoribus ſuis habeant affluenter; ſacri Concilij decreto ſuper hac re inhærendo, omnibus Parochis, & curam animarum habentibus ſub pœnis arbitrio noſtro, etiam excommunicationis, ſi opus fuerit, iniungimus, & mandamus; vt diebus Dominicis, & feſtis, exceptis diebus Reſurrectionis, Palmarum, & Quinquageſimæ, à prandio vſque ad horam Veſperarum pueros doctrinam Chriſtianam per ſe, vel per alios ad id idoneos, cum ipſorum tamen interuentu, & præſentia docere habeant.

Vt autem hoc facilius præſtare poſſint, ſodalitates duas in primis erigi curent, vnam virorum, mulierum alteram; quæ docendi pueros, & puellas doctrinam Chriſtianam pro inſtituto habeant; & pium hoc miſericordiæ opus exercendo, Indulgentias à Summis Pontificibus conceſſas conſequantur.

Eccleſias, vel ſcholas duas aſſignent, in quarum vnam mares, in alteram fœminæ ad diſcendum conueniant, nec fœminas maſculis intermiſceri patiantur.

Indicem puerorum, & puellarum conficiant, vt ſcire poſſint, quinam

quinam ſcholas frequentent, quinam verò negligentes fuerint.

Ad pueros,& puellas alliciendos, præmiola aliqua, veluti Imagines Sanctorum, & alia huiuſmodi proponi faciant; quæ prius illis, qui promptiores, & velociores in addiſcendo fuerint, diſtribuantur; vt eorum exemplo cæteri magis inflammentur. Per horam ſaltem ad conuocandos pueros tintinnabulum pulſari faciant; deinde exercitatio docendi eos ad minus vnius horæ ſpatio perduret.

In Caſalium autem Eccleſijs, vt rudibus omnibus hominibus hac in parte. quantum fieri poterit, ſuccurratur, ſub ijſdem pœnis Eccleſiarum Curatis expreſsè mandamus; vt diebus feſtis ante Miſſæ celebrationem alta voce vulgari lingua Orationem Dominicam, Salutationem Angelicam, Fidei Symbolum, & Decalogi præcepta recitent clauſulatim:& populum clauſulatim eadem repetere faciant: vt hac ratione ſaltem præcipuam doctrinæ Chriſtianæ partem addiſcant.

CAPVT II.

VT omnes facilius ad fidei rudimenta addiſcenda diſponantur, & inducantur, curent Parochi, & parentes, vt ſubditi ſibi neceſſaria ſaltem, videlicet Orationem Dominicam, Salutationem Angelicam, Symbolum Apoſtolorum, & præcepta Decalogi addiſcant.

Confeſſarijque, antequā ad audiendas confeſſiones vlterius progrediantur, ſuper fidei rudimentis pœnitentes in primis interrogent. In Confraternitatibus autem, & Sodalitatibus omnibus neminem doctrinæ Chriſtianæ ignarum recipi mandamus.

CAPVT III.

IN Monaſterijs Monialium puellæ, quæ educationis cauſa ibidem commorantur, per magiſtram ab Abbatiſſa eligendam doctrina Chriſtiana imbuantur, & inſtruantur.

CAPVT IV.

NEmo ad officium legendi doctrinam Christianam admittatur, neque in societatem, vt supra, adscribatur; nisi prius fidei professionem, iuxta formam à principio nobis præfinitam, emiserit.

TITVLVS IX.

De Lectione Sacræ Scripturæ, & Casuum Conscientiæ.

CAPVT VNICVM.



VONIAM sacri Concilij Tridentini Decretum, quo præbenda aliqua in Cathedralibus, & Collegiatis Ecclesijs in Theologalem erigi cauetur, propter exiguitatem redditus præbendarum, & beneficiorum, nec potuit in præteritum, nec in futurum poterit adimpleri; Ne tamen nostra Metropolitana, vel aliæ Diœcesanæ Collegiatæ Ecclesiæ lectione sacræ Scripturæ, seu Casuum conscientiæ careant, eiusdem sacri Concilij dispositioni, quantum fieri potest, inhærendo, statuimus: vt ex communi massa distributionum, certa honesta portione pro mercede constituta, aliquis Sacerdos, siue Secularis, siue Regularis idoneus conducatur, qui saltem semel in hebdomada, vel sacram Scripturam, vel Casus conscientiæ legat, & explicet.

Præterea in supradictis Ecclesijs casuum conscientiæ conferentias inter Clericos in sacris ordinibus constitutos, saltem semel in hebdomada, fieri mandamus. Quarum forma hæc sit. Proponat aliquis per duos dies antea Conclusionem à se defendendam. Statuta die postea idem sedem ascendens prius Conclusionem à se

propo-

propoſitam explicet: deinde duo contra ipſum argumentari teneantur: præter eos liberum cuique ſit alia argumenta, ſi voluerit, in medium afferre. Abſoluta diſputatione, ſeu conferentia, publicentur nomina, & illius, qui in proxima futura conferentia concluſionem defenſurus eſt, & eorum, qui contra argumentari debebunt. Seligantur autem ex omnibus magis idonei, qui ſupradicto muneri defendendi, & arguendi ſatisfacere poſſint: & inter eos is ordo ſeruetur, vt ſorte eligantur per turnum; ita vt vnuſquiſque ſuo munere defendendi, & argumentandi perfungatur: & exacto turno iterum ex ordine incipiatur.

Omnes verò Clericos in ſacris Ordinibus conſtitutos ad intereſſendum ſupradictis lectionibus, & conferentijs eſſe volumus obligatos: ijs tantum exceptis, quos propter ſenium, aut aliam legitimam cauſam, vel in totum, vel à diſputationibus tantum eximere nobis viſum fuerit. Qui lectionibus, & conferentijs, vt ſupra, intereſſe neglexerint, pro prima vice carolenos duos, pro ſecunda tres, pro tertia quinque, & ſic deinceps in pœnam ſoluere teneantur: quam ex nunc in emptionem præmiorum, pueris doctrinam Chriſtianam addiſcentibus diſtribuendorum, eſſe declaramus applicatam.

Vt autem præſens decretum debitam habeat executionem, Vicarius Generalis in Metropolitana, & Vicarij Foranei in alijs Eccleſijs prouideant ſingulis tribus menſibus eligi Punctatorem: cuius officium ſit indicem conficere, in quo omnium clericorum in ſacris ordinibus conſtitutorum nomina deſcribantur, & eos, qui lectionibus & conferentijs, vt ſupra, non interfuerunt, ſupradicto Vicario Generali, & Foraneis fideliter denunciare. Et, vt negligentes detegantur, & nulla tergiuerſatione celari poſſint, antequam lectio, vel conferentia incipiat, per Clericum ad hoc deputandum alta voce omnes nominatim vocentur. Qui præſentes fuerint, reſpondeant, vt in omnibus ordinationibus fieri conſueuit, *Adſum*. Qui verò ter vocatus, aliqua mora competenti inter vocandum interpoſita, non reſpondeat, pro abſente habeatur, & vti negligens punctetur.

Verum,

Verum, vt negligentibus pœna ſtatuta eſt, ita quoque diligentes, & ſtudioſos ſua præmia manere debent. Eos igitur, qui magis profecerint, & ſe melius geſſerint, in Canonicatibus, & Dignitatibus conferendis, & in aliorum beneficiorum collatione cæteris paribus alijs eſſe decernimus præferendos.

TITVLVS X.

De Sanctorum Reliquijs, Sacris Imaginibus, & Miraculis.

CAPVT PRIMVM.



ANCTORVM Reliquiæ, quas Templum SANCTI SPIRITVS fuiſſe, dum viuerent Apoſtolicis dictis inſtruimur, eò in maiori honore habendæ ſunt, quòd, adhortante Propheta, Dominum in Sanctis eius laudare debemus. Statuimus igitur, vt Sanctorum Reliquiæ non niſi in Eccleſijs decenti loco, vaſculis ornatis, & panno ſerico inuolutæ cuſtodiantur. Ipſarumq. Reliquiarum nomina in ſchedulis deſcripta diligenter aſſeruentur: &, ſi aliquæ antiquitate corrodi incipiant, fideliter iterum ſcribantur.

Ante locum verò, in quo Reliquiæ repoſitæ ſunt, tabella, quæ Indicem ipſarum contineat, appendatur; &, ſi aliqua inſignior cæteris reliquia ibidem reperiatur, ante illam lampas perpetuò ardeat, & Antiphona cum Verſiculis, & Oratione Sancti in eadem tabella deſcribatur; vt ad eius venerationem, & laudem fideles magis alliciantur.

Si quando Reliquia ad altare maius in feſtis ſolennibus tranſportari, aut populo oſtendi, aut in proceſſionibus deferri contingat; non niſi à Sacerdote, luminibus accenſis præcedentibus, ſuperpellicio ſaltem, & ſtola induto id fiat. Dum accommodantur in

altari à Clericis tantum, à laicis verò nunquam tractentur.

Præter ſtatutos ex conſuetudine cuiuſque Eccleſiæ dies, Reliquiæ ſine noſtra licentia nec oſtendantur, nec circumferantur. Cum verò in publicum proferuntur, nullæ eleemoſynæ, & nulli quæſtus earum occaſione proponi debent; Ideo capſulæ omnes longè à Reliquijs arceantur.

Nouæ Reliquiæ nobis inconſultis, & ſine noſtra approbatione nullatenus introducantur, & recipiantur. Veteres verò iuxta Gregorij XIII. conſtitutionem, non alienentur, nec diſtrahantur.

CAPVT II.

SAcræ Imagines, quas non vt ſimulacra gentium, quæ in Idolis ſuis confidebant, adorandas, & colendas; ſed vt eos, qui adorandi, & colendi ſunt, repræſentant, in Eccleſijs, & Oratorijs aſſeruandas, & vſu retinendas eſſe docet Eccleſia Catholica; omni venuſtate, grauitate, & honeſtate confici debent. Vt enim naturaliter inuiſibilia DEI per ea, quæ facta ſunt, intellecta conſpiciuntur; ita cum immenſa beneficia, & à CHRISTO in humanum genus collata, & exempla virtutum ſalutaria per Sanctos DEI exhibita fidelium oculis in ſacris Imaginibus ſubijciuntur, voluntas eorum tum ad Sanctorum vitam imitandam, tum ad laudandum, & adorandum DEVM, atque ad pietatem colendam vehementius excitatur, & inflammatur. Quamobrem ſacræ Imagines, quæ procacitatem præſeferunt, aut laſciuiam, ſeu riſum, aut aliquid aliud, quod animos à deuotione auertat, aut quod ſacris eccleſiaſticis ſcripturis, & traditionibus aduerſetur, repræſentent, omnino ab Eccleſijs, ſi extant, remoueantur, & in poſterum arceantur. Ideo ſine noſtra licentia ſacræ Imagines in quibuſuis Eccleſijs, & Oratorijs publicis in futurum non admittãtur.

Cruces, & ſacræ Imagines priuſquam ad deſtinatum locum adducantur, ſolemni ritu benedicantur: Eaſdem verò, & alia huiuſmodi, res ſacras quomodolibet repræſentantia, humi, aut vbi pedibus calcari poſſunt, aut in locis turpibus, & inhoneſtis depingi, aut ſculpi aliquo modo ne permittatur.

CA-

CAPVT III.

MIracula, quæ à ſacris Imaginibus nouiter emanaſſe aſſeruntur, niſi prius à nobis, iuxta Sacri Concilij Tridentini decreta fuerint approbata, nullo modo recipi mandamus. Inuigilent igitur Eccleſiarum Curati, vt cum ſimile quid acciderit, rem diligentiſſimè inquirant, & ad nos quamprimum deferant. Interim verò Populum, ne in ea re vlterius progrediatur, continere procurent.

TITVLVS XI.

De ſacris repræſentationibus.

CAPVT VNICVM.



ACRAM Dominicæ Paſſionis hiſtoriam, & Sanctorum geſta interno cordis affectu meditari, & venerari potius conuenit, quàm agi à perſonis in ſcenis, cum periculo, aut riſum prouocandi, aut ſcandalum excitandi. Ideo repræſentationes huiuſmodi, ſiue in locis ſacris, ſiue profanis, etiam in monaſterijs Monialium, ne fiant; niſi nobis aliquando vrgenti ratione ſuadente aliter viſum fuerit indulgere.



TITVLVS XII.

De Sacrosanctis Ecclesijs, & earum Immunitate.

CAPVT PRIMVM.



VM Ecclesiam Dominus non solum orationis domum esse voluerit, sed eam quasi Regiam sibi, ac Sanctis suis, in quibus laudari vult, & gloriosus existit, elegerit, atque in ea fidelis populus ad verbum DEI audiendum,& sacramenta suscipienda conuenire soleat, omnia in Ecclesijs munda, sancta omnia, atque ordinata esse oportet; vt cuius in pace factus est locus, eius cultus sit cum debita veneratione pacificus: ne, vbi peccatorum venia petenda est, irreuerenter, aut indecenter agendo, maiestatem DEI, & Sanctos eius, quos nobis patronos inuocare debemus, ad iram prouocemus; nevè cum in orationibus, & sacramentorum susceptione ab eo petimus ouum, mereamur accipere scorpionem. Quamobrem ab Ecclesijs profana omnia procul abesse iubemus.

Laici homines in eis congregationes, consilia, seu parlamenta publica de rebus temporalibus non habeant.

Deambulationes, circuli, colloquia, præsertim cum suspectis fœminis, comessationes, & compotationes in Ecclesijs,siue eorum porticibus vllo vnquam tempore ne fiant.

Portæ à laicis non obsideantur: nec quisquam fontibus Baptismi, & aquæ benedictæ adhærere, siue altaribus brachijs inniti,aut super illis sedere præsumat.

Canes,aut aues venatici,aut arma hastata,siue archibusia intra Ecclesiam ne inferantur. Ideo in Ecclesijs omnibus deputentur Clerici, quorum officium sit excommunicatos, & canes ab Ecclesia eijcere; & alios, qui supradicta decreta violauerint, vt desistant, admonere, atque corripere.

Qui nihilominus contrauenire præſumpſerint, ex Lugdunenſis Concilij decretis, & Conſtitutionis Pij Papæ V. tenore, noſtram experientur animaduerſionem pro delicti, & conditionum aggrauantium qualitate, arbitrio noſtro augendam, vel moderandam.

CAPVT II.

NEmo Iudicum temporalium in Eccleſijs ius quomodolibet dicere, neque proceſſus conficere, aut cadauera inſpicere audeat. Sed, extractis ab Eccleſia cadaueribus, extra Eccleſiam ſuum officium exequantur. Nulli præterea contractus, præter matrimoniales, intra Eccleſias celebrentur.

CAPVT III.

CHoreæ, ſaltationes, pilarum luſus, ſpectacula, ſtabula equorum, & boum ſterquilinia, aut loca immunda, aut malè olentia ab Eccleſijs per quinquaginta paſſus ad minus procul ſunto. Super Eccleſijs verò domus, & cubicula ad habitandum ne fiant: neque columbæ ibidem aut ſuper turribus Eccleſiarum alantur.

Feneſtræ Eccleſiarum ita cuſtodiantur, vt auibus aditus ad nidificandum in Eccleſijs minimè pateat.

CAPVT IV.

NVlla Eccleſia abſque noſtra licentia diruatur; &, ſi quando aliquam dirui contingat, ſaxa, cæmenta, omniſq. materies ad vſum alterius Eccleſiæ ædificandæ, ſi fieri poteſt, reſeruentur, & applicentur: quæ enim ſemel DEO dicata fuerunt, in profanum vſum conuerti non debent.

Feneſtræ, quæ à priuatis domibus intra Eccleſias proſpectus habent, infra menſem claudantur, niſi ex priuilegio, aut antiquiſſima conſuetudine approbatæ reperiantur: nec aliæ in poſterum abſque noſtra auctoritate aperiantur.

Nouæ Ecclesiæ sine nostra licentia ne ædificentur: in Oratorijs autem priuatis nemo, nostra concessione speciali, non suffultus, in Sacellis verò intra priuatos parietes sine Apostolicæ Sedis licentia, Missas, aut celebrare, aut celebrari facere præsumat.

CAPVT V.

Ecclesiæ omnes, cum à diuinorum officiorum recitatione cessatur, claudantur: excipiuntur ab his Metropolitana, atque aliæ Collegiatæ, & insignes Ecclesiæ: quas tamen de serò pulsata Salutatione angelica statim claudi, & de mane non prius, quàm eadem tintinnabuli pulsatione secuta, aperiri iubemus.

Postremò si quæstionem super Ecclesiarum immunitate oriri contingat, in huiusmodi causis non aliter, quàm iuxta formam Constitutionis Gregorij XIIII. super hoc editæ procedi, & iudicari mandamus. Omnes tandem admonemus, vt cum Ecclesiam ingrediuntur, caput detegant, mox aqua benedicta se lustrent; deinde sanctissimum Eucharistiæ sacramentum supplices, vtroque genu flexo, adorent, & venerentur. Postea vero caueant, ne aut eidē Sacramento, aut Altari maiori stando, vel sedendo terga vertāt.

TITVLVS XIII.

De Diuinorum Officiorum recitatione.

CAPVT PRIMVM.



IN Ecclesijs benedicendum DEO, eiq. sacrificium laudis offerendum esse, verbis, & exemplo Prophetæ Ecclesia Catholica instructa, vt publicè in Choro diuina officia celebrentur instituit. Qua in re præstanda in primis secum animo vnusquisque reputare debet, se ante illius conspectum stare, voces, & verba effundere, qui non solum ea, quæ labijs proferuntur audit, verùm etiam, quæ in corde la-

tent,

tent, rimatur. Omnes igitur Pſalmos, & Hymnos, quos ore canunt, aut recitant, interno cordis affectu, atque animi attentione comitari conentur; ne de illis iuſtè Dominus conqueri poſſit. *Populus hic labijs me honorat, cor autem eorum longè eſt à me*. Meminerint maledictos illos eſſe, qui opus DEI negligenter faciunt. Nec obliuiſcantur ſacerdotes ſe, iuxta Apoſtoli dictum, ex hominibus aſſumptos pro hominibus conſtitutos eſſe *in ijs, quæ ſunt ad DEVM, vt offerant dona, & ſacrificia pro peccatis*. Proinde dum laudis ſacrificium non pro ſe tantum, ſed pro toto populo ad DEVM offerunt, & perſonam totius Eccleſiæ in hoc repræſentant, cogitent, ſi illud negligenter, aut nequiter præſtiterint ſe iuſto DEI iudicio ex hominibus deijciendos fore, & pro vniuerſis pœnas debitas ſoluturos.

Decet verò internam animi deuotionem externis etiam actibus demonſtrare: ideo in diuinorum officiorum celebratione, quæ vitari, & quæ ſeruari debent ſtatuenda eſſe cenſuimus.

In primis ſtatutis horis campanarum pulſatio ad conuocandos eos, qui ad diuini Officij recitationem in Choro ſunt obligati, præcedat.

Hora aduentante Eccleſiam ingrediantur, caput detegant, aqua benedicta ſe aſpergant, & genibus flexis ante ſanctiſſimum Euchariſtiæ ſacramentum preces effundant. Deinde ad Secretarium accedant, vbi, depoſito pallio, & pileo, birretum accipiant, atque ſuperpellicio, & indumentis ordini, & dignitati congruentibus induantur. Interim in altari maiori lumina ad minus duo accendantur. Statim verò pulſata campanula ante fores Secretarij ad Chorum bini, graui inceſſu, & modeſto vultu pergant. Quò ſimul ac omnes peruenerint, dato per Hebdomadarium ſigno, diuinum Officium inchoent, & ad finem vſque proſequantur.

Omnes Choro coniunctim, non ſeparatè ſedeant, vnuſquiſque iuxta ordinem, vel Dignitatum, vel antiquitatis inter Canonicos, & deinceps alios ſacerdotes proprium locum occupent; ita tamen, vt ſi, abſente digniori, quis eius locum occupauerit, ipſo aduentante loco cedat; nec poſtea ad alienas ſedes, aut huc, aut

illuc

illuc vagetur, aut extra Chorum sine Punctatoris licentia, qui, vel ex iniuncti muneris ratione, vel ex consuetudine Choro præest, discedere præsumat; ea verò non, nisi necessitas vrgeat, concedatur.

Nemo in Choro, qui locus publico laudis sacrificio destinatus existit, priuatum officium recitet.

Nemo litteras, siue scripturas alias, aut libros legat, vel retineat, præter Breuiarium.

Nemo dormitet, aut stet oscitanter, & otiosus.

Nugæ, strepitus, rixæ, clamores, risus, & colloquia procul sunto.

Chirothecis in Choro nemo vtatur.

Qui secus fecerint, distributionibus illius horæ pro pœna careant, & pro absentibus habeantur.

Studeant è contrario omnes concorditer psallere, caput detegere, surgere, sedere, genuflectere, cum hoc, aut illud ratione officij faciendum erit.

Vocem in canendo, & psallendo vnusquisque, ne dissonantiam, aut indecorum sonum reddat, ad aliorum concentum moderari conetur. Non nimis velociter, aut confusè; sed clarè, distinctè, & decora cum grauitate psallant, aut recitent: atque omnino in medio cuiusque versiculi parumper consistant, vt partes inter se distinguantur. Ita denique se in omnibus gerant, vt populo non scandalum, sed exemplum bonorum operum præbeant, & hostiam laudis sacrificando, vota eiusdem populi in atrijs domus Domini in medio Hierusalem, hoc est Ecclesiæ, dignè DEO reddere procurent.

CAPVT II.

MAtutinum de mane hora condecenti, ita vt verè *Matutinum* dici possit, recitetur.

In nocte autem Natiuitatis Domini ita horam matutini incipiendi sumi mandamus, vt tempus celebrandi primam Missam circa mediam noctem incidat.

Infra hebdomadam autem Maiorem cum de serò Matutinum recitatur, ita horæ opportunitas capienda erit, vt circa Solis occasum, non tardius, Laudes, & totum Officium terminari possint; absque eo, quod velocius, & minus distinctè, quàm decens est, vrgente temporis angustia psallere, & recitare sit necessarium.

In festis primæ Classis totum Officium, in alijs autem secundæ Classis saltem *Te Deum*, Laudes, Primam, & Vespertinas horas solenni cantu recitari mandamus.

In cæteris verò festiuis, & ferialibus diebus cuiusque Ecclesiæ in diuinis Officijs ritum, & præcipuè laudabilem nostræ Metropolitanæ in Matutinis singulis diebus solenniter canendis, approbamus, & perpetuò retineri iubemus: Capitula aliarum Ecclesiarum, vt dignum hoc commendatione exemplum imitentur, quantum in Domino possumus hortantes, & admonentes.

Martyrologium Romanum alta voce in tono lectionis cani, non legendo in Choro recitari iubemus; vt fideles Martyrum & Sanctorum gesta facilius audire, & audita imitari, atque ad eorum venerationem, & deuotionem in DEVM inflammari possint.

CAPVT III.

IN omnibus Ecclesijs duos volumus constitui punctatores; per nos vnum, per Capitulum alterum singulis annis eligendos: qui, vt debitè munus suum exequantur, ante susceptionem officij fidei professionem emittere, & iuramentum de fideliter, & integrè, nulla personarum acceptione habita, officium suum exequendo, in manibus Vicarij Generalis in Ciuitate, & Vicariorum Foraneorum in Diœcesi præstare teneantur. Officium autem eorum erit, non solum absentes, & negligentes punctare, verùm etiam eos, qui in ijs, quæ supra sancita sunt, in Choro deliquerint.

Portio autem negligentium, absentium, aut delinquentium, vt supra, vbi consuetudo est, vt inseruientibus accrescat, eam vti laudabilem obseruari mandamus: vbi autem talis consuetudo non adest, fabricæ Ecclesiæ (si certos redditus non habeat, vel ad Ca-

pitulum onus huiusmodi non spectet) aut alteri pio loco, arbitrio nostro, ex præcepto Sacri Concilij Tridentini applicanda reseruetur.

In negligentibus, & alijs, vt dictum est, adnotandis tum quoad tempus punctationis in singulis horis, tum etiam quoad punctorum summam cuiusque Ecclesię consuetudinē volumus obseruari.

CAPVT IV.

NEmo, vel Dignitatem, vel Canonicatum in Ecclesijs obtinens se aliquo modo à diuinorum officiorum recitatione in Choro, aut exemptum esse, aut aliquo priuilegio, præsertim sub prætextu quòd expectari debeat, aut alio quouis quæsito colore gaudere se posse præsumat; sed in omnibus pariter ac alios se obligatum esse sciat. Quin Dignitates, seu personatum obtinentes, & Canonici quò magis præcellunt alijs, eò diligentiores, & frequentiores in Choro adesse debent; vt cæteros exemplo suo ad benè inseruiendum DEO promptiores reddant, & magis assiduos: abusibus omnibus, si qui sunt in contrarium, quos corruptelas esse declaramus, penitus explosis, atque sublatis.

CAPVT V.

EOdem tempore, quo diuina in Choro recitantur officia, defunctorum exequias celebrari omnino prohibemus; ne vnum opus alterum interturbet, & ex dissonanti diuersa canentium strepitu aut risus, aut scandalum oriatur.

Nemo pariter Clericorum in Ecclesia, aut per se, aut cum alijs alternatim, etiam submissa voce extra Chorum, & præcipuè dum in Choro Canonicis horis opera datur, priuatum officium audeat recitare sub pœna vnius aurei pro qualibet vice, arbitrio nostro applicanda.

CAPVT VI.

ET ne in canendo errores aliqui, vt plerumque non sine scandalo accidere solet, committantur, Cantor, & Subcantores,

res, siue is, ad quem huiusmodi munus pertinet, quæ canenda sunt, non solum ante præuideant; verùm etiam eos, qui vel lectiones, vel aliud canere debebunt, præmoneant, ne imparati accedant: sed ea, quæ cantaturi sunt, ante per se priuatim legant, & ad concinnè canendum se exerceant.

Demum ne propter ignorationem cantus necessarium sit paucos canere, vbi frequens Clericorum numerus in Choro reperitur, eosdemq. non alios, aut alios variando vices, vt æquum esset, semper à populo audiri, aut si vices variandæ forent, eos malè canere, & potius obstrepere, & scandalum, aut risum prouocare contingat; statuimus, vt nemo in posterum recipiatur in partem, qui præter alia requisita, quæ in suo volumus robore permanere, cantum non calleat ecclesiasticum: admissus verò ad præbendam, seu Dignitatis, seu Canonicatus, nisi eiusdem cantus notitiam habeat, vel infra tres mẽses didicerit, dimidia, vel alia distributionum quotidianarũ portione arbitrio nostro careat, donec illũ didicerit.

In cæteris autem, quæ ad diuina officia solenniori, vel minus solenni ritu celebranda pertinent, Cæremonialis Episcoporum tenorem decernimus obseruari.

TITVLVS XIV.

De Magistris Cæremoniarum.

CAPVT VNICVM.



IN omnibus Collegiatis Ecclesijs duos mãdamus eligi cæremoniarũ magistros; quorum officium (nisi eos ad altiora promoueri contingat) ad vitæ finem vsque perduret: Senior Archiepiscopi Sedi, si præsens aderit, iunior verò celebranti semper assistant. Et ne imperiti ad huiusmodi officium, quod vsu potius, quàm lectione addiscitur, assumantur; præter hos, alius etiam supranumerarius

constituatur, qui in demortui locum, ordine tamen antiquitatis seruato, succedat; &, ipsis viuentibus, in casu absentiæ legitimo vice ipsorum inseruiat.

Curent autem sedulò cæremoniarum magistri, vt ab omnibus, & singulis quid agendum sit ex Rubricis Missalis, & Cæremonialis Episcoporum tenore, decora cum grauitate peragatur, sublatis penitus omnibus abusibus prætextu prærogatiuæ alicuius, aut quouis alio modo contra Missalis Rubricas introductis: quos omnes hac præsenti Synodali constitutione corruptelas esse declaramus.

Omnes autem cuiuscunque dignitatis Clerici, Magistris Cæremoniarum pareant in ijs, quæ ad eorum officium pertinent: qui parere recusauerint, pro qualibet vice carolenos quinque arbitrio nostro distribuendos persoluere teneantur.

TITVLVS XV.

De Musicis, & Organo.

CAPVT VNICVM.



AVEANT Cantores, & Organista, ne quid voce, & sono personent, quod Ecclesiam DEI dedeceat, aut populo, vel scandalum inferat, vel deuotionem auferat: Sed in ijs, quæ canenda sunt, & organi pulsatione præscriptam in Cæremoniali Episcoporum normam diligenter obseruent: quod, vt ab illis omnino præstetur, eius, qui Choro præest, præcipuum munus esto.



TITVLVS XVI.

De Funere, Exequijs, & Sepulturis.

CAPVT PRIMVM.



CONVENIT, vt quem viuentem honore debito Clerus vniuersus prosequutus est Archiepiscopum, eidem mortuo extrema præstet officia charitatis. Defuncto igitur Archiepiscopo, tam in ipsa Metropolitana, quàm in alijs Diœcesanis Ecclesijs pro eius anima iuxta Cæremonialis Episcoporum tenorem solennes exequiæ celebrentur. Idem etiam in proximè defuncti Archiepiscopi anniuersario die singulis annis fiat.

Præterea post Commemorationem omnium fidelium defunctorum die immediatè sequenti, in omnibus Ecclesijs pro animabus tum omnium Archiepiscoporum, tum etiam omnium Sacerdotum, qui eisdem Ecclesijs inseruierunt, dum viuerent, solennes exequiæ fiant. In omnibus autem supradictis casibus publicas exequias omnes priuato sacrificio comitari mandamus.

Cum aliquis moritur Canonicus, vel Sacerdos, in eius exequijs, vt Missã ab aliquo, vel Canonico, vel Sacerdote respectiuè æquum est decantari, ita omnes siue Canonicos, siue simplices Sacerdotes eiusdem Ecclesiæ, nulla facta distinctione, funeri, & exequijs conuenit interesse.

Vestes Ecclesiæ sacræ pro sepeliendis vnà cum ipsis corporibus defunctorum sacerdotum ne concedantur, nisi illius hæredes, alias similes, & eiusdem generis vestes infra certum breue tempus reficere se obligauerint. Quòd si propter paupertatem vnde illas reficerent non haberent, vt Ecclesia minus quam fieri potest ex hoc patiatur damnum, sacerdos sepeliendus vestimentis deterioribus induatur.

CAPVT II.

CAdauera mortuorum, nec ante Solis ortum, nec post illius occasum ad Ecclesiam efferantur sine licentia nostra speciali; intra sepulturam verò saltem ante spatium viginti quatuor horarum ab hora obitus ne condantur. Poterunt tamen ad Ecclesiam prius interim deferri, ad euitanda incommoda in domibus priuatorum, quæ ex corporibus mortuorum oriri solent. Cum autem semel sepulta fuerint, è sepulchris non eruantur, nec aliò asportentur sine nostra licentia in scriptis obtinenda: qui secus fecerint, arbitrio nostro debitam experientur vltionem.

Cum defunctorum corpora in sepulturam inferenda sunt, id sine Curati Ecclesiæ, vel alterius è Capitulo, per quem cura animarum exercetur, præsentia ne fiat: vt inde omnis superstitionis amputetur occasio.

Ad cadauer defuncti pauperis, & miserabilis personæ sepeliendum, cuius æs ad impensas funeris, & exequiarum non sufficiat; Capitula Ecclesiarum, siue Curati id ita de proprio præstare teneantur, vt omnem auaritiæ suspicionem procul abesse appareat.

Nullum mortui corpus non adhibitis consuetis Ecclesiæ cæremonijs ad Ecclesiam deferatur sepeliendum. Quod etiam in efferendis puerorum, & infantium cadaueribus omnino obseruari iubemus: ne si secretò, & priuatim ad Ecclesiam deferantur, aliquem non baptizatum in sepulturam ecclesiasticam inferri contingat. Statuimus igitur, cum infantium baptizatorum corpuscula ad Ecclesiam deferuntur, capita eorum coronis ex virentibus herbis, & floribus contextis ornentur, crux præcedat, & per ecclesiasticas personas procedendo diuinæ laudes recitentur, atque psallantur.

CAPVT III.

NEmo Clericus ad funus superpellicio indutus solus accedat: sed, si vnà cum alijs ad mortui domum progredi fortasse

non potuit, postquam solito pallio indutus illuc accesserit, superpellicium induat, & se cum alijs inmisceat.

Cum autem funus progreditur, omnes vel psallant, vel pro defuncti anima ad DEVM preces effundant: eaq. omnia in procedendo obseruent, quæ supra de publicis processionibus, & supplicationibus sancita sunt.

In exequijs sermones de laudibus defuncti sine nostra licentia ne habeantur: poterit tamen fieri sermo de mundi fallacia, & humanæ vitæ caducitate, vt homines pro certo scientes nihil illos, præter bona opera sequuturum fore, vitia vitare, & bonis operibus ad æternam patriam contendere conentur.

Defunctorum anniuersaria diebus Dominicis, & alijs festis solennioribus ne fiant: sed si in illis inciderint, in primam sequentem diem non impeditam transferantur.

Quo ad funerum mercedem, seu taxam nihil innouari; sed omnia ex antiqua laudabili consuetudine seruari mandamus.

CAPVT IV.

NVllus Vespillonis officio sine Vicarij nostri Generalis in Ciuitate, & Vicariorum Foraneorum in alijs oppidis, & Casalibus vniuersæ Diœcesis licentia, & auctoritate fungatur.

Pauimenta Ecclesiarum tumulis defunctorum deturpari non debent. Vnde quibus in Ecclesijs sepulchra extructa non sunt, corpora mortuorum sepeliantur in cœmeterijs: nec sepulturæ locus sine nostra licentia, & auctoritate concedatur. In alijs autem Ecclesijs, vbi iam defunctorum corpora sepeliri cœperunt, noua sepulchra nonnisi infra terram opere fornicato ab interiori parte fieri permittantur; extra verò plana sint, reliquo pauimento exequata: atque ita bene obstructa, vt nec facilè aperiri, nec inde malus odor exhalare possit. Cruces verò in sepulturis neque pingantur, neque sculpantur. Vetera autem, & antiqua sepulchra ad supradictam formam, quamprimum reduci curent Parochi Ecclesiarum; vel ij, per quos cura animarum exercetur. Eorum corpora, qui

locum

locum ſepulturæ proprium non habent, condantur vel in publicis ſepulturis, vel in cœmeterijs.

Pro loco autem ſepulturæ, in quo quis humari debet, ſiue in Eccleſijs, ſiue cœmeterijs, nihil omnino, vel petatur, vel exigatur, vel accipiatur: qui in hoc dereliquerit, eidem pœnæ ſe ſubiacere intelligat, quæ ſimoniacis conſtituta eſt.

In qualibet Eccleſia pallium nigri coloris, ſaltem laneum ad efferendos mortuos comparari, & detineri mandamus.

Qui verò in ijs, quæ ſupra ſancita ſunt, aliquo modo deliquerint, eos pro modo culpæ arbitrio noſtro puniẽdos eſſe decernimus.

TITVLVS XVII.

De Reſidentia.

CAPVT PRIMVM.



ECRETA Sacri Concilij Tridentini de reſidentia ſeſ.6.cap.1.& 2.& ſeſs.23.cap.1. necnon de perſonali ſeruitio Eccleſiarum ſeſs.21.cap.3.& ſeſs.22.cap.3.non ſolum in Synodis Diœceſanis, verum etiam bis in anno, ideſt in Dominicis infra Octauas Natiuitatis Domini, & S. Ioannis in ſingulis Eccleſijs alta voce legantur.

Quicunque autem beneficia curata, ſiue Canonicatus, & præbendas, aut portiones in noſtra Cathedrali, & in alijs Collegiatis eccleſijs, quæ ſeruitium, & perſonalem reſidentiam requirunt, obtinentes contra eiuſdem Concilij decreta venire auſi fuerint, noſtram ex eiuſdem Sacri Concilij præſcripto vltionem expectent. Per hoc autem non intelligimus aliquo pacto derogare ſtatutis, & conſuetudinibus ſingularum eccleſiarum, in quibus non ſeruientes, & abſentes grauius punientur: quas, vti laudabiles, vt in ſuo robore volumus permanere, ita in-

uiolatè

uiolatè obseruari, & per Vicarium nostrum Generalem exequi mandamus.

Curati animarum ædes parochiales omnino inhabitent, aut si tales Ecclesia non habuerit, in alijs non longè ab ea infra parochiæ limites: vbi pro gerenda cura, & gregis commoditate in omnibus necessitatibus præstare operam suam facilè possint.

Nullus sacerdos, qui Ecclesiæ sibi commissæ curam gerere, & in præbendæ suæ Capella sacrum facere id oneris, negotijq. susceperit, sua relicta Ecclesia, vel Capella, mercede conductus, vel amicitiæ causa alienas curet, aut alteri altari inseruiat.

Nullus item Missas, ad quas celebrandas partitione publici oneris tenetur, per alios sacerdotes celebrare faciat: sed per se ipsum vnusquisque illas celebrare teneatur; nisi ex legitimis causis aliter nobis visum fuerit indulgere. Permittimus tamen per tres vices tantum à Vicarijs Foraneis ob causam, quæ moram non patiatur, huiusmodi licentiam concedi. Qui secus fecerint, pro absentibus habeantur; & ijsdem pœnis, quibus non inseruientes obnoxij sunt, omnino subiaceant.

Absentiæ licentia animarum Curatis, & alijs, vt supra, nisi ex vrgenti causa, & iuxta Sacri Concilij Tridentini decreta, tum quoad spatium temporis, tum etiam quoad alia requisita ne concedantur. In improuisis verò casibus, in quibus vrgens necessitas moram non patitur, poterit vnusquisque discedere; dummodo de suæ absentiæ causa statim nos certiores reddat. Quæ si rationabilis fuerit, admittetur, perinde ac si licentiam obtinuisset; sin minus, is, qui ita discedet, pœnas non residentium luet. Licentiam verò extra Ciuitatem à Vicarijs Foraneis non vltra tres dies ita duximus concedendam, vt si pluries concedatur, totius anni spatio tempus duorum mensium non excedat.

Nullus verò absens in Metropolitana, & alijs Collegiatis Ecclesijs ad portionem capiendam sub quouis prætextu, vt præsens admittatur. Ideo eas donationes, seu cessiones, aut remissiones, quæ ad hunc effectum fieri solent, in posterum vel à priuatis personis, vel à Capitulo sub pœna dupli fieri prohibemus. Quin ita

abſens eam, ſi ita acceperit, reſtituere compellatur, vt vel inſeruientibus accreſcat, vel noſtro arbitrio in Eccleſiæ vtilitatem conuertatur.

A reſidentia verò, vel à ſeruitio excuſandi ſunt omnes, qui aduerſa valetudine laborant; qui ſenio confecti ſunt, & inualidi; aut iuſta, rationabilive neceſſitate impediti; vel alias abſentes de licentia Epiſcopi in euidentem Eccleſiarum ſuarum neceſſitatem, vel vtilitatem.

Præter Curatos verò, & alios, vt ſupra, præbendas, ſeu portiones obtinentes, nemo in ſacris Ordinibus conſtitutus vltra quindecim dies à noſtra Diœceſi abeſſe audeat ſine noſtra licentia ſpeciali. Licentia verò nec ſine cauſa legitima, nec indignis concedatur; ideo non niſi cum litteris commendatitijs, quæ bonum de illis perhibeant teſtimonium, dimittantur.

TITVLVS XVIII.

De Parochis, & alijs curam animarum exercentibus.

CAPVT PRIMVM.



VICVNQVE ad curam animarum vocati ſunt, quaſi DEO de illis rationem reddituri peruigilent neceſſe eſt: ne cum Dominus eam poſiturus aduenerit, eos à bono opere torpentes damnet; ſed potius operantes pro apportato lucro remuneret. Caueant igitur, ne dum ſpeculatoris officio funguntur, interfectorum animæ de manu ipſorum requirantur; & Paſtorum munus exerceant, quaſi non pro ſeipſis, ſed pro ouibus ſuis paſcendis illud ſuſceperint: vt in paucis reperti fideles in multis glorioſè conſtitui mereantur. Singulis igitur Dominicis, & alijs feſtis diebus in ſuis Eccleſijs omnino Miſſas celebrare teneantur: vel ſi ipſi, aut aduerſa valetudine,

aut

aut legitima absentia, aut aliqua alia vrgenti de causa impediti fuerint, ab alijs celebrari faciant: inter hebdomadam verò sæpius quàm fieri potest sacrum facere procurent. At pro animabus defunctorum, & præcipuè de eadem Ecclesia benemeritorum saltem bis in mense ab ipsis Missas celebrari mandamus.

Diebus Dominicis ante Missæ celebrationem, aquam, de more Ecclesiæ Catholicæ, iuxta Missalis Romani Rubricam benedicant, & cum ea populum aspergant: in Sabbato sancto autem cum aqua benedicta ad benedicendas domos, aut ipsi personaliter accedant, aut per alios sacerdotes, non tamen per Clericos inferiores, siue in minoribus ordinibus constitutos id præstent, vbi verò cura animarum per Capitulum Ecclesiæ exercetur, ad Sacristam lustrandarum domorum officium pertineat: Caueant præterea, ne mulierculæ leues, & insipientes homines aquam, vt supra, benedictam, in profanos vsus, & superstitiones conuertant: cum ad effugandos dæmones, & se à leuioribus culpis expurgandos, aliosq. pios vsus aquam benedictam detinendam esse in priuatis domibus Romani Pontifices expresse docuerint. Quapropter arceantur ab ipsis ij omnes, qui vanæ temporis obseruatione inducti in Sabbato sancto cum vrceolis ad fontem baptismalem accedunt, vt inde aquam benedictam hauriant: sibi persuadentes, si haustum illius aquæ biberint, se à corporis doloribus anno integro immunes euasuros: cum non tantum, quam in Sabbato sancto: sed etiam quæ omni tempore benedicitur, deuotè sumendo, totius corporis sanitas à DEO postulari, & impetrari possit.

Inter Missarum celebrationem, diebus Dominicis, festos, & ieiuniorum dies, qui inter hebdomadam inciderint, publicent: Comminationes, & sententias excommunicationum, quæ pro reuelationibus conceduntur, pronuncient: denunciationesq. siue pro Ordinibus conferẽdis, siue pro Matrimonijs contrahendis habeãt. Tamen vitia generaliter reprehendant, populum ad virtutes inflammenr, præmium, & pœnam ex præcepto Sacri Concilij Tridentini cum simplicitate, & grauitate sermonis annuncient. Qua in re præstanda Catechismo Romano præcipuè vtantur: pueros

doctrinam Christianam, vel saltem in Casalibus Orationem Dominicam, Salutationem Angelicam, Symbolum Apostolorum, ac præcepta DEI, & Ecclesiæ, vt supra sancitum est; doceant.

Nihil ad officium Parochorum, & eorum, qui curam animarum sustinent, magis pertinet, quàm sacramenta sanctè custodire, & promptè, ac debita cum charitate populo administrare, ne cum paruuli petunt panem, DEVS iustè conqueri possit, si non adesset aliquis, qui frangeret eis.

Sanctissimum Eucharistiæ sacramentum pro infirmis, sacra Olea, & Baptismatis fontem iuxta ea, quæ suo loco dicuntur, accuratè studeant conseruare: &, vt Pœnitentiæ sacramentum fideliter administrent, summas casuum conscientiæ volutare non grauentur: Exemplum Bullæ, in die Cœnæ Domini publicari solitæ, non solum apud se habeant; verùm etiam omnes, & singulos in ea comprehensos casus optimè callere procurent: casus nobis in Synodo reseruatos memoria semper retineant, ne ijs beneficium absolutionis impendant, vbi aut Sedis Apostolicæ, aut nostra facultas, atque potestas necessariò requiritur.

Bullam autem Cœnæ Domini supradictam, & casus nobis reseruatos inter Missarum solennia vulgari sermone, alta, & intelligibili voce, saltem in Feria quinta in Cœna Domini populo publicent, vel per alium publicari faciant. In Ecclesijs autem Collegiatis per Diaconum, & Subdiaconum altari ministrantes alternatim singula capitula eiusdem Bullæ latino, & vulgari sermone populo recitentur.

Ne populus vllo modo se Confessarij copiam non habere iustè conqueratur; statuimus, vt Parochi, & animarum Curati à Dominica Passionis, vsque ad Octauam Paschæ, & per octo dierum spatium ante festum sanctissimæ Natiuitatis Dominicæ, necnon ante Iubileum, si à Beatissimo D. N. Papa publicari contingat, singulis diebus per quatuor saltem horas in Confessionalibus ad confessiones audiendas promptos se exhibere debeant. In Vigilia verò Pentecostes, Assumptionis Beatæ MARIAE, & Inuentionis S. CATALDI, & Sanctorum loci, vel Oppidi Patronorum

per duarum horarum ſpatium idem facere teneantur. Cæteris autem anni temporibus, vt Populum ad ſacramentorum frequentationem hortari non deſinant, & ipſi ad confeſsiones audiendas aſsiſtant, in Domino rogamus, & admonemus. In noſtra verò Cathedrali, & alijs Collegiatis Eccleſijs, vbi cura animarum per Capitula exercetur, ſacerdotes à nobis ad confeſsiones audiendas approbatos, ad idem eſſe volumus obligatos. Quod ſi plures fuerint, ita vt eodem tempore omnes confeſsiones audire non poſſint, conficiantur per Vicarium Generalem in Ciuitate, & Vicarios Foraneos in Diœceſi tabellæ pro ſingulis diebus, vt omnes alternatim ſaltem ſuo muneri ſatisfaciant. Et vt populus facilius conueniat ad Pœnitentiæ ſacramentum, ſtatuta ad confeſsiones audiendas hora, dato per tintinnabuli pulſationem ſigno, ad Eccleſiam conuocetur.

Sacramenta ad infirmos non ſolum promptè deferant; verùm etiam ſubditos ſuos moneant, vt ea non tardè; ſed tempeſtiuè petere debeant. Et cum tota Diabolicæ fraudis aſtutia, tota vis in eo verſetur, vt animæ fidelium in ſua à corpore ſeparatione decipiantur; nihil ijs, qui curam ſuſtinent animarum, antiquius eſſe debet, quàm omnem opem, omne auxilium, quod in ipſis eſt, conferre ſubditis in extremo vitæ diſcrimine conſtitutis. Ideo non ſolum animæ commendationem ex inſtituto Eccleſiæ illis recitare contenti ſint; verùm etiam eos ad vſque vitæ finem non deſerant. Quin potius ſemper illis præſtò ſint opera ſua, tentationes repellant, & longè arceant; ſcrupulos, confeſsionem ſæpius audiendo, ex animis ipſorum remoueant, CHRISTI Domini paſsionem in memoriam reuocando, ad patienter omnia mala ferenda illos hortentur: ſpem veniæ in DEI miſericordia erigant, atque ad Beatæ MARIAE, aliorumq. Sanctorum patrocinium implorandum inuitent. Si per ſe id præſtare alio graui negotio impediti non poterunt, curent ſedulò, vt per alios probos ſacerdotes, & religioſos viros omnino perficiatur.

Si quem verò ex hac vita ſine ſacramentis, Parochorum, & eorum, ad quos pertinet, culpa, migraſſe compertum fuerit, tales

officij sui immemores ab officio, & beneficio suspendantur; & alijs grauioribus pœnis pro modo culpæ, etiam beneficij priuatione, si in huiusmodi negligentia frequenter fuerint, puniantur. Ideo si quando hoc (quod Deus auertat) euenire contingat, omnes, ad quorum notitiam id peruenerit, Vicario nostro Generali in Ciuitate, & Vicarijs Foraneis extra, infra trium dierum spatium, denunciare teneantur; qui vocatis consanguineis, & alijs affinibus, & domesticis defuncti, rei veritatem inuestigare procurent: ne impunitatis exemplo, huiusmodi negligentia in perniciem transeat animarum. Ad quam euitandam consultius facient, si se vocari non expectabunt; sed sponte sua quinam sint ægrotantes, & in quo ægritudinis statu reperiantur, curiosè satagent explorare.

Parochus, siue animarum Curatus vicinior vicinum Parochum ægrotantem statim inuisere, eiq. Sacramenta debito tempore ministrare non negligat, morientiq. non deneget omnia postrema obsequia charitatis.

Nemo Parochus, vel Curatus aliquem exorcizare, & à corporibus obsessis dæmones effugare sine nostra licentia præsumat; neque aliquem alium intra suæ Parochiæ limites id facere permittat.

Inquirant diligenter Parochi, siue animarum Curati non solum, an in suis Parochijs adsint hæretici, aut de fide Catholica suspecti, vt supra sancitum est; verùm etiam an adsint alij publici peccatores, vtpotè concubinarij, vsurarij, simoniaci, & alij huiusmodi: atque omni industria, diligentia, & charitate illos ad bonam frugem reducere conentur: pacem inter inimicos conciliare studeant: quòd si nihil proficere compererint, rem ad nos omnino deferre teneantur; vt ad seueriora remedia auctoritate nostra deueniatur.

Pia loca, pauperes personas, pupillos, viduas, puellas virgines egestate laborantes, afflictos aduersa fortuna omnes commendatos habeant; opem omnem, quantum in ipsis est, illis conferant; & cæteros ad subueniendum eis hortentur. Nos tandem certiores faciant; vt etiam ipsis, quantum in Domino possumus, inopia, & aduersa fortuna laborantibus succurramus.

Demum

Demum defuncto Parocho, is, qui à nobis per modum prouisionis substitutus erit, publicas orationes pro optimo Parocho eligendo populo indicat, & cum effectu ad DEVM effundi curet.

Postremò Parochos, & animarum Curatos pro certo habere volumus exploratum, omnia illis circa curam animarum rectè, atque è sententia euentura, si piam, honestam, & castam vitam duxerint; si à contentionibus, comessationibus, & alijs, quæ ad rem non pertinent, abstinuerint; si virtutum omnium, ac bonorum operum exemplum se ipsos præbuerint; si denique ita charitatis visceribus induantur, vt forma facti gregis ex animo, non terrena appetere, sed ad cælestia tantùm aspirare cernantur. E contra verò si inhonestè vixerint, si iracundi, aut gulæ dediti, aut auaritiæ, quæ omnium malorum radix est, seruire deprehensi fuerint; nihil illis scientiam, aut prudentiam in regendo profuturas. Quin huiusmodi homines dum se sapientes existimant, stultos factos esse ex eo intelligere debent, quòd, Apostolo docente, illud apud DEVM stultum est, quod hominibus falsò sapientius apparet. Studeant itaque rectè muneri suo satisfacere; vt nobis illorum negligentiam, & malam vitam mulctandi, & pœnis coercendi omnis occasio penitus tollatur.

TITVLVS XIX.

De Sacramentis in genere.

CAPVT PRIMVM.



QVANTVS Ecclesiæ Sacramentis honor sit exhibendus, ex eo facilè deprehendi potest, quòd illa DEVS Optimus Maximus tanquam idonea instrumenta elegerit, per quæ gratiæ suæ immensos thesauros in nos effundat, & omnia bona misericorditer largiatur; atque vnigeniti Filij sui passionis, & mortis virtutem, & efficaciam nobis voluerit esse applicatam. Vnde CHRISTVS Dominus,

nus, licet abundè, ac copiosè sanguine ante mortem effuso illa compleuisset, post mortem tamen è pectore lancea perforato sanguine, & aqua emanantibus effecit; vt cælestis gratiæ, & misericordiæ donis redundarent. Quamobrem omni reuerentia, & sanctitate sacramenta suscipi, tractari, atque administrari æquum est; ne, quod datum est in donum, suscipientium culpa, & administrantium incuria in iudicium transeat animarum.

Cum igitur mundari oporteat eos, qui ferunt vasa Domini, omnes, & singulos, qui sacramenta administrant, in primis monitos esse volumus, vt non nisi munda à peccati mortalis labe conscientia, saltem contrito corde cum proposito confitendi, illa audeant ministrare. Deinde studeant illorum mysteria ex Catechismi Romani præscripto ita populo explicare, vt intelligant fideles, sacramenta in salutem, & remedium animarum data esse, in eisq. nobis gratiam conferri, nisi obex ponatur; per quam, morte D.N. IESV CHRISTI interueniente, ex inimicis reconciliamur DEO, & eius amicitia dignamur.

Et quoniam interiora animi ornamenta exterioribus declarantur, & comprobantur; in honorem sacramentorum iubemus, atque præcipimus, vt in ijs conferendis receptos, atque probatos ab Ecclesia Catholica, atque Romana ritus, & cæremonias omnes ita obseruent, vt nihil illis vel addere aliquis, vel demere præsumat.

Nullus prætereà sacerdos, nisi veste talari, superpellicio, & stola indutus, quælibet sacramenta audeat ministrare sine nostra licentia speciali.

Nemo tandem pro sacramentorum administratione verbis expressis, aut pactione, aut nutibus, aut aliqua alia tacita significatione aliquid petere audeat, vel pro mercede accipere: qui secus fecerint, simoniacorum pœnas dabunt. Si quid autem eleemosynæ nomine datum fuerit, & dari consueuit, liberum sit accipere, vt piæ institutionis ratio conseruetur. Quin ad susceptæ laudabilis consuetudinis obseruantiã omnes posse à nobis ex sacrorũ Canonum dispositione cõpelli, hac Synodali constitutione declaramus.

CA-

CAPVT VII.


SAcra olea Catechumenorum, & Chrismatis, siue pro Baptismi, siue pro Confirmationis vsu, & Oleum infirmorum singulis annis conficiantur, & renouentur: Vetera verò omnia sub excommunicationis pœna statim comburantur, & combusta in Sacrarium immittantur. Quòd si per nos, aut absentes, aut legitimè impeditos confici non poterunt, Vicarius Generalis noster ab aliquo Episcopo viciniori eam supradictorum oleorum quantitatem confici, atque ad nostram Metropolitanam Ecclesiam in tribus vasis æneis magnis adduci curet, quæ pro totius nostræ Diœcesis vsu sufficere verisimiliter possit. Singulæ verò Parochiales Ecclesiæ tria vascula ænea, vel stamnea, in quibus supradictorum oleorum nomina inscripta legantur, ad illa decenter asportanda, & cautè custodienda habere debeant. Sacra olea cum parochialibus Ecclesijs impartiuntur, non laicis hominibus, sed Clericis in sacris Ordinibus constitutis asportanda tradantur. Præter verò parochiales Ecclesias nemini, sub excommunicationis pœna, sine nostra licentia concedantur. Nec liceat alijs sacris oleis vti, quàm ijs, quæ ex nostra Metropolitana Ecclesia accipiuntur: qui aliunde acceperint, ipso facto sententiam excommunicationis incurrant.



TITVLVS XX.

De Baptismo.

CAPVT PRIMVM.



APTISMVM primum esse, & ianuam omnium Sacramentorum Domini verbis instruimur, dum dicit: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & SPIRITV SANCTO, non potest introire in Regnum DEI.* Cum igitur ij, qui prius erant filij iræ, per lauacrum regenerationis traducantur in adoptionem filiorum DEI; magna cum sanctitate, ac veneratione omnia, quæ ad huius Sacramenti pertinent administrationem, tractari oportet.

Primum itaque in omnibus parochialibus Ecclesijs adsit fons Baptismalis lapideus decenter, ac fabrefactus; adeo capax, & concauus, vt vas æneum continere possit; ne aqua paulatim lapidem inficiens foris per rimulas effluat. Supra fontem verò Ciborium ex nuceo ligno, vel alio non facile corruptioni obnoxio, ornatè elaboratum ponatur: quod vndique circumseptum ex vna, vel altera parte tantum, feris, atque clauibus claudi possit. Ciborium ipsum conopeo lineo colorato ad arcendas pulueris iniurias operiatur: ex interiori verò parte serico rubro pro sacramenti decore contegatur: Vas vnum vel ex argento, vel ex auricalcho cum oblongo manubrio, ad commodiorem baptizantium vsum, ad aspergendam supra baptizandorum caput aquam, ibidem conseruetur. Item vas alterum fictile adsit, in quod aqua ex capite baptizati decidat, quæ statim in sacrarium immittatur. Sacrarium verò propè Baptisterium ædificetur, ac ligno coopertum claui rectè claudatur, & custodiatur. Adsit præterea alia capsula, vel ar-

gentea,

gentea, vel ſtamnea cum duobus vaſculis eiuſdem materiæ; in quibus cum bombice ſanctum Chriſma, & Catechumenorum oleum pro Baptiſmi vſu, inſcriptis cuiuſque olei circum illorum ora nominibus, conſeruetur; vt omnis errandi amputetur occaſio. Quæ omnia ita nitidè, & mundè cuſtodiantur; vt nihil appareat vel turpitudinis, vel ſordium, vbi omnis decor, omnis ſplendor requiritur.

Aqua verò eiuſdem fontis baptiſmalis ſaltem bis in anno, in Sabbato ſancto videlicet, atque in Vigilia Pentecoſtes de more Eccleſiæ benedicatur. Verùm ſi ea vel per totum annum non ſufficiat, vel corrumpatur, toties id fieri poterit, quoties vel neceſſitas, vel ſacramenti dignitas id requirere videatur.

CAPVT II.

CVm tria in huius ſacramenti adminiſtratione neceſſariò requirantur, Materia, Forma, & baptizantis intentio; hæc ita intelligenda ſunt, vt aqua pura, ſimplex, elementaris materia eſſe debeat, forma autem his verbis exprimitur: *Ego te baptizo, in nomine PATRIS, & FILII, & SPIRITVS SANCTI. Amen.* quibus nihil addendum vel diminuendum erit. Intentio autem baptizantis in eo conſiſtit, vt illud facere intendat, quod intendit Sancta Mater Eccleſia. Et licet quælibet elementaris aqua ſit materia ſufficiens, & conueniens Baptiſmi ſacramento, non tamen ea non benedicta vtendum eſſet, vbi benedictæ copia haberi poſſit. Non igitur alia aqua quàm benedicta (præterquam in caſu neceſſitatis) infantes, ſeu adulti regulariter baptizentur.

Baptizans verò regulariter debet eſſe Parochus, vel etiam Sacerdos, de noſtra tamen, aut Parochi licentia: omnes tamen in caſu neceſſitatis, vbi periculum vitæ imminet, ſiue mares, ſiue fœminæ baptizare poſſunt: ita tamen vt præſente Sacerdote, vel Clerico, laicus non baptizet; neque præſente viro mulier; ac demum in conferendo Baptiſmi ſacramento præſens dignior, ſiue in Ordine, ſiue in ſexu, ſiue in ætate minus digno ſemper eſt præfe-

rendus. Is verò, qui ita fuerit baptizatus, si periculum mortis euaserit, ad Ecclesiam quamprimum adducatur; vt Exorcismus, Catechismus, preces, atque aliæ cæremoniæ ex instituto Ecclesiæ suppleantur.

Et quoniam periculum vitæ, atque huiusmodi necessitas in partu plerunque accidere solet, ob quam mulieres obstetrices baptizare consueuerunt, nulla mulier obstetricis officium exercere permittatur, quæ formam & cætera omnia, quæ circa huius sacramenti administrationem sciri debent, optimè non calleat; & præuio per Parochum, vel per Sacristam, vbi per Capitulum cura animarum exercetur, examine diligenti, non sit approbata. Instruere autem eas, & docere oportet, in primis ne faciles se præbeant in conferendo Baptismo; sed vbi vrgens periculum tantum necessariò cogat: deinde vt verba ad formam spectantia rectè, ac distinctè proferant. Ideo, propter errandi in pronunciando periculum, melius fortasse foret, si eadem verba vernaculo, aut vulgari sermone recitarent. Postea vt non alia quàm pura, simplici, & elementari aqua in baptizando pro materia vtantur.

Quæcunque verò mulier, quæ examini se non subiecerit, aut non examinata, aut non approbata officium obstetricis contra huius decreti tenorem ausa fuerit exercere, eam sententia excommunicationis esse decernimus puniendam.

CAPVT III.

Caueant Sacerdotes baptizantes, ne semel in casu necessitatis baptizatos iterum baptizent. Quòd si hunc errorem admiserint, præterquam quòd grauiter, & enormiter peccant, sciant se ipso facto (vt in Catechismo Romano habetur) notam Irregularitatis incurrere. Ideo antequam ad infantes, seu adultos baptizandos accedant, diligenter inuestigare procurent, an certum sit, vel incertum illos non fuisse baptizatos: si pro certo compererint fuisse baptizatos, à baptizando abstineant, & reliqua tantum de more Ecclesiæ suppleant: si res in dubium reuocetur, sub condi-

tione

tione baptizent : *Si non es baptizatus, ego te baptizo in nomine PATRIS, & FILII, & SPIRITVS SANCTI, Amen : sed si es baptizatus, ego te benedico, &c.*

Infantes autem expositos, vbi aliqua cartula, vel aliquid aliud à collo penderet, quod certum Baptismi indicium non esset, vel vbi nullum Baptismi signum adesset, pariter sub conditione, vt supra, conuenit baptizare.

Baptismus, præterquam in casu necessitatis, vt supra, in priuatis domibus non conferatur, sed in Ecclesia tantum : quicunque verò vel Parochus, vel sacerdos ad priuatorum domos pro conferendo Baptismo se contulerit, per annum integrum suspendatur.

Ad suam verò Parochialem Ecclesiam, non ad aliam baptizandi ad suscipiendum Baptismum afferantur; nisi aliter vrgente necessitate facere oporteat. Nec baptismalem ablutionem in longum protrahi conuenit : ideo infra octo dierum spatium ad summum ad Baptismum suscipiendum ad Ecclesiam infantes adduci mandamus.

Curent sedulò Parochi, & baptizantes sacerdotes, vt nomina pueris, ac puellis ridicula, vel turpia, aut gentilium, impiorumve, vel impurorum hominum non imponantur; sed illorum, qui sanctitate, & Christianis virtutibus floruerunt : vt non solum re ipsa sed etiam nomine fideles ab infidelibus distinguantur: & ad eorum virtutes, quorum nomina referunt, imitandas inflammentur. Nec permittant sacerdotes, vt sal, quod ex domo parentum baptizati allatum est, postquam fuerit benedictum iterum ad eandem, seu aliam domum reducatur: sed illud penes Ecclesiam remanere faciant, vt omnis superstitionis amputetur occasio, vbi omnis impietas destrui debet. Linteum verò, quo pueri caput abstergitur, non in alium quàm in ecclesiasticum vsum conuerti præcipimus, & iubemus. Peracto autem baptismo Parochus, vel sacerdos doceat baptizati parentes, & alios circumstantes quanta bona in baptismate conferantur: & præcipuè illius virtute vocatum fuisse baptizatum ex iræ, & Diaboli filio in adoptionem filiorum DEI; ac propterea illos moneat, & hortetur, ne in comessationibus, cho-

reis,

reis, aut alijs ſeculi oblectamentis exultent; ſed DEO pro immenſo ſibi collato beneficio debitè gratias agant.

Infantes autem ad baptiſmum ſuſcipiendum non ſericis, auro, gemmiſq. ornatis veſtibus; ſed lineis albis tantum adduci mandamus; ne, dum confeſſione verbali mundo, ac pompis eius abrenunciant, re, & factis illas geſtent, atque retineant.

Iniungat demum parentibus baptizati ſub excommunicationis pœna Parochus, vel ſacerdos, ne puerum, vel puellam per annum integrum in ſuomet lecto, vnà cum ipſis dormire faciant: quam ipſo facto volumus incurriſſe, ſi eam ob cauſam pueri ſuffocatio fuerit ſubſequuta.

CAPVT IV.

IN baptiſmi collatione compatres, & commatres adhiberi conſueuerunt: non tamen plures quàm vnus, ſiue vir, ſiue mulier, aut ad ſummum duo, vir, & fœmina, iuxta Sacri Concilij Tridentini decretum admittantur. Nouerint autem omnes, qui Compatris, & Commatris munus ſuſcipiunt, non ſolum contrahere ſe cognationem ſpiritualem; verùm etiam ex hoc teneri ad erudiendum puerum, vel puellam rudimenta fidei, ac bonos mores; præſertim, ſi eius parentes in hoc negligentes fore compererint. Spiritualem verò cognationem primum gradum non excedere: neque alias perſonas comprehendere, quàm leuantes; & leuatum, eiuſq. patrem, & matrem; baptizantem, & baptizatum, eiuſq. patrem, & matrem. Inter baptizantem verò, & Compatrem, vel Commatrem, aut inter hos duos nullum cognationis vinculum intercedere.

Vt ex Sacrorum Canonum diſpoſitione Regulares pueros, vel puellas è ſacro fonte leuare prohibentur: ita quoque ne ſeculares Clerici Compatres, & Commatres in noſtra Diœceſi habere præſumant, iuſtis de cauſis hoc decreto cauendum eſſe cenſuimus.

Nemo extra caſum neceſſitatis, qui decimumquartum ſuæ ætatis annum non excedat, aut excommunicatus, & publicus peccator,

cator, vel qui fidei rudimenta ignoret, aut sacramentum Confirmationis non acceperit, pueros, vel puellas è sacro fonte suscipere à Parochis permittatur.

Amputetur omnis in suscipiendo pueros è sacro fonte, iuxta præceptum Sacri Concilij Tridentini, superstitionis occasio; ac satis sit, vt Compater, & Commater puerum, vel puellam in vna tantum parte corporis manu sua tangant. Omnes denique, cum ad leuandos pueros ad sacrum fontem baptismalem accedunt, piè, & deuotè facient, si in eius sacramenti reuerentiam ensem, & alia arma deponant. Parentes filios proprios è sacro fonte leuare nefas est, ac vetitum: præsentes tamen Baptismo esse nihil prohibet.

CAPVT V.

Librum habeant Parochi, vel, vbi per Capitula cura animarum exercetur, Sacristæ; in cuius album referatur sacerdos, qui baptizauit, nomina baptizati, parentum, compatris, & commatris; notato die, mense, & anno, iuxta formulam vulgari sermone in calce libri apponendam.

TITVLVS XXI.

De Confirmatione.

CAPVT PRIMVM.



RENATI fonte Baptismatis, atque in nouam regenerati creaturam, statim Christianæ militiæ sunt ascripti; bellumq. aduersus visibiles, ac inuisibiles hostes sustinere debent. Quapropter eos sacramento Confirmationis, per quod SPIRITVS SANCTVS in fidelium corda se infundit, munire, atque in fide roborare oportet; vt ad resistendum Diaboli tentationibus, mundi illecebris, &

carnis oblectamentis fortiores euadant; & bonum certamen certantes facilius ad iustitiæ coronam peruenire possint. Cuius quidem sacramenti quanta sit dignitas, & vtilitas ex eo deprehendi potest, quòd ab exordio nascentis Ecclesiæ ab Apostolis per manuum impositionem conferebatur; & successiuis temporibus sanctum Chrisma conficiendi, & ministrandi munus solis est Episcopis reseruatum. Quamobrem Parochi præstantiam eius, atque excellentiam populum frequenter doceant; ne aliquem ignoratione, vel negligentia maximis, quæ in hoc sacramento conferuntur, donis priuatum esse contingat.

Sacramentum hoc quoniam reiterari non potest, & ad confirmandos in fide fidelium animos exhibetur, non conferri æquum est pueris minoribus septem annis; ne ille, qui hoc sacramentum suscipit, aut se suscepisse facilè obliuiscatur, aut penitus incapax mysteriorum existat; quod in ætate illa imbecilliori, rationis vsu prorsus ignara, facilè euenire potest.

Nemo adultus, nisi prius peccata confiteatur, aut contrito corde de commissis doleat cum animo confitendi, ad suscipiendum huiusmodi sacramentum accedere præsumat.

CAPVT II.

QVæ de compatribus, & commatribus, ac parentibus circa baptismum supra sancita sunt, eadem in suscipiendo confirmandos obseruari mandamus: nisi quod vnus tantum, vel compater, vel commater adhiberi debebit. Nec decet masculos fœminas, aut fœminas masculos ad confirmandum suscipere; sed vnusquisque sui sexus sequatur conditionem. Fœminæ item viris in susceptione Chrismatis non commisceantur, sed separatæ accedant. Cætera denique omnia ex Rubrica Pontificalis Romani quàm diligentissimè perficiantur. Ideò ex ea edictum vulgari lingua fiat: & per tres dies ante huius sacramenti administrationem valuis Ecclesiæ, vel columnis affigatur, vt Populus, quænam obseruanda, quæve vitanda sint, facilè intelligere possit.

Sacro Chrismate in fronte per Archiepiscopum deliniti statim bombice per asſistentes sacerdotes abstergantur; sublato penitus fasciarum vsu: ne iniquæ mentis homines, & mulierculæ insipientes occasionem inde superstitionis arripiant.

CAPVT III.

LIbrum denique habeant Parochi, siue, vbi cura animarum per Capitulum exercetur, Sacristæ; in cuius album nomina confirmati, compatris, vel commatris, & Archiepiscopi confirmantis referant; notato die, mense, & anno, iuxta formulam suo loco vulgari sermone inferius apponendam.

TITVLVS XXII.

De Sanctissima Eucharistia.

CAPVT PRIMVM.



CORROBORATIS Confirmationis sacramento militibus suis, pijssimus, & clementissimus Dominus copiosè de Cœlo suppeditauit annonam; dum panem Angelorum, panem viuum, hoc est sub specie panis seipsum nobis in Eucharistiæ sacramento dedit manducandum. Quod augustissimum sacramentum eò maiori reuerentia, & deuotione animi inter cætera sacramenta venerari conuenit, quò non solum in illo, prout in cæteris, nobis cœlestia bona donantur; verùm etiam totus CHRISTVS tum quoad humanitatem, tum etiam quoad diuinitatem sumitur, adoratur, & creditur. Quamobrem ea omnia, quæ tam in conseruatione, quàm in administratione, & susceptione huius præclarissimi sacramenti tractanda sunt, sancta, cœlestia, & diuina esse oporteret.

In qualibet igitur Ecclesia parochiali altare præcipuum erigatur; super quo sanctissimæ Eucharistiæ sacramentum intra custodiam conuenientis magnitudinis (si fieri possit) ex auro, vel argento, vel ex aliquo alio metallo, aut lapidibus electis fabrefactam, & (si id redditus Ecclesiæ non patiantur) saltem ex ligno ex anteriori parte ornatè elaboratam, & deauratam, ex interiori verò serico rubro contectam, substrato prius corporali benedicto, in duabus pyxidibus argenteis conseruetur: quarum vna maior, & amplior ad communicandos in Ecclesia fideles, alia minor, & angustior, qua Viaticum ad infirmos deferatur, esse debeat. Custodia verò supradicta conopeo serico eleganti pro temporum (quæ varios colores requirunt) qualitate, mutando, vel ex serico aureo perpetuò permansuro operiatur: nec intra eam, vel in aliqua eius parte locus sacris oleis, aut Sanctorum reliquijs concedatur: sera autem satis forti, & claui acura ostiolum eius ita claudatur, vt nullo modo sine fractura queat aperiri; quam clauem Parochi, siue ij, ad quos in Collegiatijs Ecclesijs id muneris pertinet, nemini fidere debeant, nobis (si quid eorum culpa, & negligentia sinistri acciderit) rationem reddituri, & pœnas ex Sacrorum Canonum dispositione daturi. Ante altare verò, vbi sanctissima Eucharistia, vt supra, seruanda est, in parochialibus Ecclesijs lampas vna, in nostra vero Metropolitana, & in alijs Collegiatis tres ad minus perpetuò ardeant. In alijs autem non parochialibus Ecclesijs, vel capellis, nemo qui Sedis Apostolicæ priuilegio, atque auctoritate munitus non sit, sacramentum Eucharistiæ sub pœna excommunicationis audeat conseruare: &, si alicubi temerè conseruari introductum fuit, sub excommunicationis pœna ipso facto, si per mensem præsenti decreto post Synodi publicationem, non pareatur, incurrẽda, ab huiusmodi sacramenti conseruatione cessetur.

CAPVT II.

DVm sanctissimum Eucharistiæ sacramentum in Ecclesijs populo administratur, assistant semper ad minus duo Clerici funalia accensa gestantes: vel saltem duo luminaria in candelabris

magnis

magnis extra altare accendantur: scamna, vbi cancelli non adsunt, per circuitum ordinentur: & super illis, vel cancellis nuceis mappæ mundæ apponantur: atque ita deuotè genuflexis, & ordine dispositis omnibus, sacerdos singulis illud porrigat. Refectis verò ijs, qui primo accesserunt, alij, atque alij sine strepitu tamen, atque tumultu in eorum locum succedant, donec omnes communicauerint. Purificatio autem in aliquo decenti vase, non tamen figuram calicis repræsentante, ijsdem postquam communicauerint præbeatur.

Sacerdos ipse, qui sacramentum populo distribuit, ac ministrat, non solum interna animi puritate præluceat; verùm etiam ea, qua decet, grauitate, & diligentia in hoc munere exequendo se gerat, vt nihil, quod agendum sit, prætermittat; & errores, qui forsitan occurrere possent, cautè studeat euitare. Fideles autem cum timore & tremore ad communicandum accedant: illudq. Apostoli meminerint, si indignè manducauerint, & biberint, iudicium se manducare, & bibere. Proinde se ipsos probent, & prius de peccatis commissis doleant, eaq. approbato Confessario confiteantur; atque ab eo beneficio absolutionis impetrato, non statim communicent; sed per aliquod tempus contemplationibus, orationibus, ac bonis operibus incumbant: atque ita demum veste nuptiali innocentiæ induti, ad cœnam Domini accedant, & de pane illo edant, & saturentur.

Internæ verò animi puritati exteriorem quoque cultum exhibendum esse considerent. Itaque viri, & fœminæ separatim communicent: nec inter se, ad euitanda scandala, misceantur. Illi demisso vultu, humili vestitu, ensibus, & omni armorum genere depositis, cœlesti mensæ se offerant. Hæ verò sine fuco, pretiosis ornamentis abiectis, simplicitatem, modestiam, atque honestatem omnem præseferre conentur.

CAPVT III.

SCire autem fideles omnes oportet, nihil ad spiritualem vitam vtilius esse, nullumq. validius ad resistendum carnis,

mundi, & Diaboli tentationibus præsidium reperiri posse, quàm si sacra Eucharistia diebus solennibus, & sæpius quàm fieri potest se ipsos reficiant, atque communiant. Etenim sacramenti huius frequentatione assidua, mentes hominum ad amandum DEVM vehementius incitantur, & inflammantur. Quoniam in eo CHRISTVS Dominus sui diuini amoris diuitias nobis effudit: cum enim suos, qui erant in mundo, perpetuò dilexisset, faciens tandem memoriam suorum mirabilium in finem vsque tunc se ynicè dilexisse testatus est, cum dilectam animam suam in nostræ salutis pretium, & carnem suam nobis ea de causa dedit ad manducandum; vt in eius memoriam illam sumendo, mortem eius, donec ipse veniat, annunciare debeamus.

Sapientissimè igitur Ecclesiæ præcepto cautum est, vt Paschatis tempore à Dominica Palmarum per totam Dominicam in Albis omnes vtriusque sexus fideles communicare teneantur. Atque vt præceptum huiusmodi verè quilibet adimplere dicatur, necesse est, vt in propria sua Parochia, intra cuius fines domicilium habet, per manum proprij Parochi, vel alterius sacerdotis ab eo deputati (nisi aliter ex priuilegio Sedis Apostolicæ ei facere permissum fuerit) sacram sumat Eucharistiam. Ideo Parochi per se ipsos non per alios sacerdotes, nisi vrgente populi multitudine, subditis proprijs Eucharistiæ sacramentum administrent; & homines alterius Parochiæ ad proprium Parochũ communicandos remittant.

Exacto supradicto tempore Dominicæ in Albis, Archiepiscopus consulatur, an illis, qui nondum Ecclesiæ præceptum adimpleuerunt, tempus prororogare dignetur: an potius contra eos ex præscripto sacrorum Canonum procedi velit. Archiepiscopus autem, quod magis animarum saluti, locorum, personarum, & temporum habita ratione, expedire videbitur, statuat, & decernat.

Et ne ij, qui mandatis Ecclesiæ in hoc parere neglignnt, & detrectant, aliquo modo ad euitandas Ecclesiæ Censuras se occultare sperent, sed vt innotescant, & debitis pœnis coerceantur, & corrigantur, omnibus Parochis, & animarum Curatis in virtute sanctæ obedientiæ districtè præcipimus, & mandamus; vt ab initio

sanctis-

ſanctiſsimæ Quadrageſimæ vſque ad quartam eius Dominicam domos ſuæ Parochiæ oſtiatim inquirant; & nomina Parochianorum omnium, in ætate ad ſanctiſsimam Euchariſtiam ſumendam legitima conſtitutorum, in libro aliquo deſcribant. Deinde à Dominica Palmarum vſque ad totam diem Dominicam in Albis, ſingulis communicantibus ſingulæ ſchedulæ, in quas ſignum Eccleſiæ, vel Prælati, vel Parochi impreſſum, & numerus currentis anni inſcriptus ſit, in ſignum ſumpti Sacramenti conſignet. Die vero Dominicæ in Albis tranſacto, oſtiatim iterum domos adeant; ſchedulas repetant; & quos ſchedula carere repererint, vt Eccleſiæ præcepto inobedientes notent; & demum notulam omnium huiuſmodi inobedientium ad Archiepiſcopum tranſmittant, quæ ab eo mandata fuerint, poſtea diligenter executuri. Abſentes autem à Parochia cum redierint ſecum afferant fidem ſumpſiſſe ſe Euchariſtiæ ſacramentum in illa Parochia, in qua tempore Paſchatis degebant; aliter in propria Parochia communicare cogantur, vt clarè appareat eos Eccleſiæ præcepto debitam obedientiam præſtitiſſe.

In Eccleſia verò noſtra Metropolitana, & in alijs Collegiatis Eccleſijs, vel in quibus plures ſacerdotes ſeruitio aſcripti reperiuntur, ipſa die feriæ quintæ in Cœna Domini, Sacerdotes, Diaconi, Subdiaconi, Clerici denique omnes de celebrantis manu Euchariſtiam ſumere teneantur.

Infra annum verò ſacerdotes, qui aliqua aduerſa corporis valetudine legitimè impediti ſacrum facere non poſſunt, ſingulis diebus Dominicis, & alijs feſtis communicare omnino deberent.

Diaconi autem, & Subdiaconi, diebus Dominicis, & ſolennibus, cum altari miniſtrauerint, iuxta Sacri Concilij Tridentini monita, prout vſu receptum eſt, communicent.

Clericos verò, vt ſingulis menſibus ſemel, hoc eſt in tertia Dominica ſacra communione ſe reficiant, hortamur.

Ab huiuſmodi autem diuino conuiuio arceantur omnes publici concubinarij, fœneratores, meretrices, blaſphemi, capitales inimicitias, & odia exercentes, viri item, & fœminæ coniuges ſe-

paratim

paratim sine Ecclesiæ iudicio viuentes, ij tamen, quorum culpa hoc euenit. Atque in hoc curati animarum plurimum inuigilent: cum nefas sit Sanctum dare canibus, & magaritas proijcere ante porcos.

Pueris item huius magni mysterij ignaris, & adhuc rudibus Eucharistiam non administrent: ideo examine diligenti prius à parentibus, & confessario inquirant, an eam habere possint tanti mysterij notitiam, quæ debitam pietatem in ipsis excitare possit.

Amentibus verò sacram Eucharistiam minimè dandam esse sciant, nisi in extremo vitæ periculo constitutis: si tamen pro certo compertum sit piam, & religiosam voluntatem eos, antequam in insaniam inciderent, habuisse: dummodo etiam vomitionis, aut alicuius alterius indignitatis huiusmodi omnis suspicio procul absit. Ijs demum, qui extremo supplicio afficiendi sunt, sacram Eucharistiam Parochi non denegent: sed per quatuor saltem horas ante supplicium eam illis exhibeant.

CAPVT IV.

CVm sanctissimum Eucharistiæ sacramentum in Feria quinta in Cœna Domini conditur in sepulchro, locus omni, qua decet grauitate pretiosioribus, quàm fieri potest, ornamentis, & luminibus, ac lampadibus accensis exornetur; atque ita claudatur, vt nulli, præterquam assistentibus sacerdotibus, pateat aditus; non tamen prospectus fidelibus omnino prohibeatur. Laruæ, & profanæ imagines procul sunto: tollantur omnino abusus obsignandi capsam, in qua sacramentum reconditur, sigillis cereis, aut azymis, ad euitandas superstitiones, quæ inde oriri solent. Et denique quandocunque sanctissima Eucharistia in publicum exponenda est, eadem omnia, vt supra, obseruari mandamus.

Cum verò in publicis processionibus, vel ad infirmos eam deferri continget, ea omnino seruentur, quæ supra de publicis processionibus in hanc sententiam latè sancita sunt.

TITVLVS XXIII.

De Celebratione Missarum.

CAPVT PRIMVM.



ANCTISSIMVM Missæ sacrificium, in quo passionis, ac mortis dominicæ memoria iugiter in Ecclesia renouatur, cruentaq. illa hostia, quam CHRISTVS Dominus immaculatam pro peccatis totius mundi cum clamore valido, & lacrymis, vt exaudiretur, obtulit DEO Patri, incruentè repræsentatur, sanctè, atque deuotè, (vt tantum decet mysterium) peragendum est: omniq. studio curare debent sacerdotes, quibus hoc officium est commissum, vt inde populus Christianus ad singularem pietatem, & religionem erga DEVM maximè excitetur, & inflammetur. Quamobrem celebrantes sacerdotes Angelis puriores, cæteraq. omnia, quæ ad tantum sacrificium peragendum necessariò adhibenda sunt, adeo munda, nitida, & decenter ornata esse æquum esset; vt celebrantibus deuotionem augeret, & in animos interessentium venerationem inijcerent.

Sacri igitur Concilij Tridentini decretis inhærendo, statuimus; ne sacerdotes, nisi prius confessione sacramentali à peccatis mortalibus conscientia expiata, ad celebrandum accedant. Quòd si necessitas celebrandi vrgeat, & Confessarij copia non suppetat, saltem de peccatis commissis cū proposito confitendi, prius quàm celebrent, conterantur; ac statim, cum primum confessarij copiam habuerint, cum effectu confiteantur.

Caueant præterea sacerdotes, ne cum sacerdotalia vestimenta induti fuerint, celebraturi, per Secretarium discurrant, vel colloquantur; aut (quod peius fortasse videretur) in risum, & ca-

chinnos prorumpant: ſed ſanctè, atque deuotè ſe colligant: quantum myſterium peracturi ſint, animo meditentur: & ſe in Miſſa celebranda velle panem in corpus, & vinum in ſanguinem Domini noſtri IESV CHRISTI verbis conſecrationis ex inſtituto Eccleſiæ conuertere profiteantur: quas Orationes, Epiſtolas, Euangelia, & alia huiuſmodi in Miſſa lecturi ſint ante præuideant; ne cum ſcandalo populi illos in legendo errare contingat. Miſſale ſignaculis ſuo loco aptatis ita diſponant, vt inter celebrandum, tempus quæritando quid, quove loco dicendum ſit, non conterant, ne adſtantibus imperiti eſſe videantur: ea, quæ alta voce dicenda ſunt, diſtinctè ita proferant, vt audiantur: neque tarditatem, aut velocitatem affectent. Sacrum Canonem non memoriter recitent, ſed legant: & in verbis conſecrationis omnem attentionem adhibeant. In eundo autem ad altare, & redeundo ad Secretarium, nemini in reuerentiæ ſignum caput detegant: ſed demiſſis oculis grauiter, & modeſtè incedant: ante ſanctiſsimum Euchariſtiæ ſacramentum tantum genuflectant, &, ſi Prælatum ſuum offenderint, profundè caput inclinent. Cæremonias, cruces, deoſculationes altaris, reuerentias decorè, ac iuxta rubricas peragere ſtudeant; atque in omnibus ſe ipſos præbeant exempla ſanctitatis.

Hoſtia, quæ ad ſacrificium præparatur, ſolida ſit, & integra: non omnino recens, non vetuſta nimis. Vinum ſimplex, purum, recenter ex dolio hauſtum, quod rectè oleat, non degeneret, nec aceſcat, album (ſi fieri poterit) non nigrum, nec rubrum; ne maculas mappis, & corporalibus inurat.

Sacræ veſtes decoræ ſint; non vſu nimis attritæ, & vetuſtate corroſæ; ſed honeſtæ, atque ex varijs coloribus pro temporum qualitate ex Eccleſiæ ritu mutandæ. Ideo ſingulis tribus menſibus reuideantur: & quæ reſarciri poterunt, ſarciantur: quæ verò ita attritæ, atque corroſæ fuerint, vt reſarciri non poſſint, comburantur, nec in alium, quàm in Eccleſiæ vſum conuertantur.

Albæ, atque alia linea indumenta tam in altaribus, quàm pro celebrantium perſonis munda ſint, non ſordida, & maculis aſperſa. Patenæ item, & ſacri Calices in ea ſaltem parte, in qua vinum

immit-

immittitur, argentei ſint; reliqua verò pars ænea deaurata omnino eſſe debeat. Iidem verò ita mundè, & nitidè cuſtodiantur, vt octauo quoque die ad minus per Sacerdotes, aut Diaconos, vel Subdiaconos ſapone, lixiuioq. adhibito lauentur, atque à ſordibus expurgentur. Clerici verò Miſsis inſeruientes ea, quæ neceſſaria ſunt, diligentiſsimè præuideant: ampullas cum vino, & aqua, linteolum ad abſtergendas manus, intorticium, & tintinnabulum pro eleuatione ſanctiſsimi Sacramenti ante præparent; ne turpe ſit eos, dum ſacrum peragitur, ſacerdotem derelinquere, & huc, illucq. ad neceſſaria perquirenda diſcurrere.

Miſſæ ſacrificium, niſi in Eccleſijs, aut capellis de licentia noſtra ne fiat. Item niſi in altari lapideo, ſaltem portatili, nemo audeat celebrare. Semper adſit Crux, & duo ad minus candelæ, cum ſacrum peragitur, accendantur.

CAPVT II.

IN Miſsis verò maioribus, quæ cum cantu ſolenniter recitantur, ſaltem diebus Dominicis, & feſtis candelæ ad minus quatuor; in alijs autem feſtis ſolennioribus, aut quando maior populi frequentia ad Eccleſiam conuenire ſolet, ſex omnino reluceant; omni ſuperſtitioſo candelarum numero ex decreto Sacri Concilij Tridentini ſublato penitus, & exploſo.

In noſtra Metropolitana Eccleſia Miſſa maior ſingulis diebus, non niſi Diacono, & Subdiacono veſtibus ſui ordinis indutis celebranti aſsiſtentibus, iuxta eius laudabilem conſuetudinem celebretur.

In alijs autem Collegiatis Eccleſijs, vbi eadem conſuetudo viget, eam vti laudabilem pariter obſeruari mandamus; ſin minus ſaltem in diebus Dominicis, & feſtiuis hoc omnino volumus obſeruari. Tempore autem Quadrageſimæ Aduentus, necnon Vigiliarum, & ieiuniorum, ſi aliquod feſtum incidat, duas Miſſas maiores, quæ vulgo conuentuales appellari conſueuerunt; vnam de feria, alteram de Sancto decantari iubemus. Anniuerſaria item

mortuorum nunquam loco Missæ Conuentualis celebrentur, sed separatim fiant.

Missæ verò huiusmodi pro defunctis, Dominicis diebus, festis item Domini Nostri IESV CHRISTI maioribus, à Dominica Palmarum per totam Dominicam in Albis, à festo Pentecostes vsque ad festum Sanctissimæ TRINITATIS, à die Natiuitatis per duos sequentes dies ne celebrentur; sed in sequentes proximos dies differantur, nec vllo modo omittantur.

In cæteris autem, quæ ad Missas solenni ritu celebrandas pertinent, ea, quæ in Cæremoniali Episcoporum præscripta sunt, volumus obseruari.

Laudabilem verò consuetudinem pulsandi maius tintinnabulum, cum sanctissimum Eucharistiæ sacramentum in Missis maioribus eleuatur, vt fideles inuitati ad tanti venerationem sacramenti animos suos conuertant, retineri, aut (si alicubi adhuc introducta non fuerit) omnino introduci præcipimus.

CAPVT III.

ET vt supradicta omnia tam circa Missas priuatas, quàm solennes rectè, atque ex ordine fiant, in Secretarijs Ecclesiarum quatuor tabellæ affixæ pendeant: quæ ab ijs confici debeant, ad quos, iuxta cuiusque Ecclesiæ consuetudinem id munus pertinet; prout in nostris visitationibus cautum est, & decerni continget: in quibus ea omnia, quæ peragenda sunt, distinctè notentur.

Prima tabella contineat anniuersaria omnia, quæ quouis mense, aut die quolibet anni ex debito recitanda solenniter erunt.

Secunda priuatarum Missarum numerum, quas ex legatorum piorum onere celebrare Capitulum tenetur, descriptum distinctè habeat.

Tertia, in qua partito singulis sacerdotibus supradicto Missarum onere pro æqua portione, clarè ostendatur, quot Missæ à singulis sacerdotibus infra hebdomadam celebrandæ sint; notatis die, & hora distinctè cuilibet: ita vt vnusquisque horam, in qua

celebrare debet, optimè ſciat: & à ſummo mane vſque ad meridiem inceſſanter Miſſæ in Eccleſia celebrentur: neque vnus alterius (niſi forte ex conſenſu) locum occupet, aut horam præueniat: & huiuſmodi tabella octauo quoque die ſingulis hebdomadibus renouetur.

Quarta demum, in qua ſacerdotes, & miniſtri, qui in Altari maiori Miſſas ſolennes cantare debent, deſcribantur; quæ ſingulis menſibus poterit renouari.

Et quoniam impium eſt ijs, qui de nobis benè meriti ſunt, grates non rependere debitas, & pias defunctorum voluntates defraudare; ideo vt pijs defunctorum legatis, & diſpoſitionibus plenè ſatisfactum eſſe conſtet, ij, qui conficiendis tabellis, vt ſupra pro tempore præerunt, teneantur ſub arbitrio noſtro reſeruatis pœnis ſingulis Sabbati diebus in fine cuiuſque hebdomadæ Vicario noſtro Generali in Ciuitate, & Vicarijs Foraneis per Diœceſim referre omnia in illa hebdomada ex tabellarum præſcripto ritè, ac rectè fuiſſe adimpleta.

Inter Miſſarum ſolennia, ſi quando ex antiqua laudabili conſuetudine eleemoſynæ, & oblationes fieri debent, caueant ſacerdotes, & Eccleſiæ miniſtri, ne Eccleſias ipſas quæritando circumeant: ſed ante altare ſacerdos ſacram aliquam imaginem, vel crucem Manipuli manu geſtans populo oſculandam præbeat; ibiq. eleemoſynas, & oblationes expectet, & à ſponte dantibus accipiat: qui ſecus fecerint, ſciant ſe pœnas condignas arbitrio noſtro pro certo daturos.

Nemo ſacerdos nouiſſimè ad ſacerdotium euectus ſine noſtra licentia Miſſas audeat celebrare: licentia verò non concedatur, niſi prius examine diligenti myſteria magni huius Sacrificij intelligere, eiusq. cæremonias omnes diſtinctè ſcire, & exequi conſtiterit. Cum verò licentia à nobis obtenta primam Miſſam erit celebraturus, ſacrificium hoc ea qua decet ſanctitate, & grauitate peragat; nihilq. quod Eccleſiam DEI, & clericalem vitam dedeceat, aut ipſe faciat, aut à parentibus, & conſanguineis fieri permittat. Procul igitur abſint tibiæ, choreæ, ſaltationes, epulæ,

ſtultiloquium, ſcurrilitas, & alia huiuſmodi, *quæ*, vt ait Apoſtolus, *ad rem non pertinent*, & animum à deuotione, & diuino cultu auertunt, atque ad carnis, & huius ſeculi voluptates inclinant, atque detorquent.

Poſtremò ſacerdotes omnes in diuinis peragendis, vt ita ſe gerant admonemus, ne ſi contra ea, quæ his ſynodalibus conſtitutionibus ſtatuta ſunt, aut negligentia, aut dolo malo commiſerint, noſtræ ſeueritatis iudicio, damno eorum emendetur, & corrigatur.

TITVLVS XXIV.

De Pœnitentiæ Sacramento.

CAPVT PRIMVM.



POENITENTIAM omnibus, qui ſe mortali peccato maculatos agnoſcunt, neceſſariam eſſe Dominus illis verbis affirmauit: *Niſi pœnitentiam egeritis, omnes ſimul peribitis.* Vnicum enim pœnitentiæ remedium illis exiſtit, qui ſemel in baptiſmo acquiſitam innocentiam iterum peccando amiſerunt. Ea verò tribus partibus perfectè continetur, videlicet Contritione, Confeſſione, & Satiſfactione. Contritio autem in eo præcipuè conſiſtit, vt peccator de commiſſis ideo doleat, quia DEVM, quem ſuper omnia colere, & diligere tenetur, offenderit, atque ipſi creaturam falſa delectatione illuſus, atque illectus prætulerit. Vt quemadmodum peccando ſe à DEO auertit, ita dicente Propheta: *Conuertimini ad me in toto corde veſtro*, ſe à creatura auertendo, ſpe veniæ impetrandæ motus iterum ad DEVM conuertatur. Contritioni verò Confeſsionem adiungendam eſſe Ioannes Apoſtolus docuit inquiens: *Si confiteamur peccata noſtra, fidelis eſt, & iuſtus,*

vt remittat peccata nostra, & emundet nos ab omni iniquitate. Verbalis autem confessio coram Sacerdotibus, non alijs personis facienda est: quoniam necesse est, vt non alij de peccatis commissis iudicium proferant, quam illi, quibus verba à CHRISTO Domino in huius sacramenti institutione prolata in Ordinis collatione dicuntur: *Accipite Spiritum sanctum: quorum remiseritis peccata, remittuntur eis; & quorum retinueritis, retenta sunt*. Ille demum qui misericorditer à DEO veniam impetrat peccatorum, bonis operibus in delictorum pœnam diuinæ iustitiæ satisfacere tenetur: vt omnipotens DEVS, qui simul cum culpa pœnam dimisit æternam, per eam, quæ arbitrio sacerdotis iniungitur, vel voluntariè à pœnitente suscipitur, aut ab ipso DEO inflicta patienter toleratur; indulgeat etiam temporalem.

Curent itaque sedulò Prædicatores, & Curati animarum, vt huiusmodi sacramentalis Pœnitentiæ partes, & benè peccata sua confitendi præcipuas conditiones, & modos populum frequenter doceant; ne hoc præstantissimum Ecclesiæ remedium, quod in salutem animarum institutum est, in eorum venenum, & perniciem euadat: quod vt facilius præstare possint, loca ad instituendos fideles ex Catechismo Romano præcipuè depromant.

Cum autem tota pœnitentiæ benè gerendæ ratio in sacerdotis, huius sacramenti ministri peritia, & prudentia præcipuè consistat; quoniam ipse non solum sapientis Iudicis; verùm etiam periti Medici personam gerere, & partes agere debet: ideo sacri Concilij Tridentini decretis inhærentes statuimus; ne quis sacerdos, qui Parochiale beneficium non obtineat, sine nostra expressa licentia, in scriptis gratis concedenda, sub pœna excommunicationis ipso facto incurrenda confessiones audire, sacramentum Pœnitentiæ administrare, aut alicui beneficium absolutionis impendere audeat, vel præsumat. Licentia autem non concedatur nisi ijs, quos non solum litteratum, & casuum conscientiæ conuenientem habere peritiam; verùm etiam vitæ integritate, atque innocentia conspicuos, ætate, & morum grauitate honorabiles, prudentes, castos, Christianæ pietatis amantes, & de animarum cura sollicitos

esse constiterit. Atque vt exercitatione peritiores in confitendo paulatim euadant, non ab initio ad omnium confessiones audiendas, sed prius ad sacerdotum tantum, mox virorum, tandem (si præclarè in hoc munere exercendo se gesserint) ad mulierum etiam confessiones audiendas admittantur.

Illi autem, qui scripto, vt supra, à nobis approbati Confessarij munus obeundum suscipient, pietatis, & charitatis zelo prudentiam, & dexteritatem adiungant: pœnitentes nec initio confessionis nimium increpando deterreant. nec in fine sine graui obiurgatione abire sinant: prius patientia, & mansuetudine eos ad omnia euomenda peccata alliciant, deinde illorum grauitatem demonstrent, & patefaciant: vt quasi obstetricanti manu ex illorum conscientia colubrum eruant tortuosum, vt extractum postea increpationis malleo enecent, & extinguant.

In pœnitentijs autem, & satisfactionis operibus iniungendis illud in primis ante oculos habeant, vt in commissorum peccatorum congruam pœnam peragantur, & ad impedienda noua peccata remedium opportunum existant. Deinde quæ, quo loco, quo tempore, quibus personis iniungenda sint sedulò animaduertant; vt facilem, & sine scandalo aliquo, & non difficilem executionem habeant, neque ætati, aut conditioni, aut viuendi instituto, vel complexionis imbecillitati repugnantem.

Et quoniam Sacri Concilij Tridentini præcipuo decreto cauetur, publicè peccantes publica pœnitentia coercendos esse, vt quemadmodum peccando populo scandalum præbuerunt, ita quoque pœnitentiæ exemplo eumdem ædificent. Confessarios omnes antiquos pœnitentiales canones optimè callere oporteret; vt ex veteri Ecclesiæ more publicas pœnitentias, si quando iniungendæ forent, prudenter iniungerent; & priuatas etiam ad instar illarum, quantum fieri posset, accommodare procurarent.

CAPVT II.

CAueant Sacerdotes, siue seculares, siue regulares, quibus audiendæ sacræ confessionis officium est commissum, ne iuxta

decreta

decreta Clementis VIII. cuiuſuis priuilegij prætextu aliquem ab ijs caſibus abſoluant, qui in Bulla die Cœnæ Domini publicari ſolita continentur; neque ab ijs peccatis, quorum abſolutio nobis ex noſtrarum Synodalium Conſtitutionum diſpoſitione reſeruata eſt. Et quoniam, ex determinatione Bullæ Gregorij XIIII. ſuper immunitate Eccleſiarum, illi omnes, qui contra illius Bullæ diſpoſitionem fecerint, eas pœnas ipſo facto incurrunt, quæ à Sacris Canonibus,& Sanctorum Pontificum conſtitutionibus contra violatores libertatis, & immunitatis Eccleſiæ editæ ſunt, quæ item in dicta Bulla Cœnæ Domini comprehenduntur: ideo omnes Confeſſarios monitos eſſe volumus, vt non ſolum in huiuſmodi caſibus pœnitentes ad ſanctam Sedem Apoſtolicam remittant; verùm etiam, ſi aliquis curiæ ſecularis, vel iudex, vel actorum magiſter, vel executor, aut aliquo alio modo miniſter ad confitendum peccata ſua ad ipſos accedat, in primis,& ante omnia interrogare eum debeant, an aliquo modo directè, vel indirectè iuriſdictionem, libertatem, & immunitatem eccleſiaſticam violauerint, aut eis præiudicium intulerint: quod ſi aliquem ideo ſententia excommunicationis irretitum eſſe compererint, vlterius ad audienda illorum peccata ne progrediantur; ſed illum ad impetrandum prius à Sede Apoſtolica beneficium abſolutionis hortentur: cum ſemper abſolutio ab excommunicatione abſolutionem præcedere debeat à peccatis. Si Iubileum verò à Sanctiſſimo D. N. Papa indicatur; caueant ne limites facultatum in illo conceſſarum excedant; neque aliquem ab irregularitatis nota abſoluant, aut cum illo diſpenſent.

Nec item faciles in abſoluendo ſe præbeant peccatores illos, qui conſuetudine in aliquo peccato iam ferè in naturam verſa, ſunt incorrigibiles, veluti concubinarios, vſurarios, & alios huiuſmodi, qui proximam peccandi occaſionem cum effectu deſerere recuſant, etiam ſi ſe ſatisfacturos, & in poſterum ab iiſdem abſtinentes fore promiſerint: exceptis tamen ijs, qui in extremo vitæ diſcrimine conſtituti reperirentur: quibus tamen ita demum beneficium abſolutionis impendant, ſi ſponſione idonea facta caue-

rint

rint se esse satisfacturos,& occasionē peccādi penitus derelicturos.

Ne præterea illos, qui aliorum bona detinent, aut alicuius, vel plurium personarum famæ detraxerunt, sine restitutione, meliori quàm fieri potest modo facienda, absoluant.

Neve illis beneficium absolutionis impendere audeant, qui in excommunicationis sententiam inciderunt ob non reuelationem earum rerum, quas ipsi sciebant, & virtute monitorialium comminationum reuelare tenebantur: nisi refectis damnis ijs, quorum interest, & à nobis absoluendi facultate impetrata.

Neque à pœnitentibus aliquid exigant, vel accipiant; nec eleemosynas imponant pro pœnitentia, aut sibi ipsi, aut Ecclesijs, vel Monasterijs proprijs applicandas; sed alijs sacerdotibus, & locis pijs (quando eleemosyna pro pœnitentia iniungenda foret) applicari mandent.

Restitutiones, quæ faciendæ sunt, cum ex pœnitentium manibus illas acceperint à se ipsis ne faciant: sed per Parochi manum, vel primæ dignitatis in Ecclesijs, in quibus cura animarum per Capitulum exercetur: nisi ipse Confessarius, vel Parochus, vel prima dignitas esset.

Postremò secretum, & sigillum confessionis ita seruent & custodiant; vt nihil ex eorum ore excidat, quod in notitiam aliorum perducere posset illa peccata, quæ ipsi à pœnitentibus audierunt. Et, si quando ab aliquo alio sacerdote consilium petendum esset, & Superior consulendus foret, ita casum studeant explicare; vt non solum ex ipsius generalitate, verùm etiam omni alio meliori modo personæ confitentes non deprehendantur.

Illud autem Confessarios omnes hortamur, vt iuxta Catechismi Romani monita pœnitentibus persuadeant, vt certis definitis diebus orationi vacent, & pro animabus defunctorum ad DEVM preces effundant.

CAPVT III.

CONfessiones sacræ non in priuatis domibus, præterquam in casu necessitatis, & infirmitatis; nec in abditis Ecclesiarum

locis, sed in apertis, & patentibus siue virorum, siue mulierum illæ sint, tantum audiri mandamus. Per hoc autem quin intra Monasteria, virorum natu grandiorum, & eorum qui adulta ætate sunt, confessiones audiantur, non intendimus prohibere.

In qualibet igitur Ecclesia sedes confessionales in locis conspicuis disponantur; extra quas nemini confessiones audire liceat, præterquam virorum tantum in casu necessitatis, sedes verò prædictæ tabulam intermediam inter pœnitentem, & Confessarium habeant: & fenestella eiusdem tabulæ lamina plurimis foraminibus plena ita claudatur, vt auditum nihil impediat; sed mutuum contactum, & clarum aspectum valeat prohibere. Quas sedes, vt in nostra Metropolitana Ecclesia iam fecimus constitui, ita ad earum exemplum in omnibus alijs Ecclesijs infra duos menses fieri hac Synodali constitutione decernimus, & iubemus.

In supradictis autem Confessionalibus affigantur primum imago Sanctissimi Crucifixi ante faciem pœnitentis;deinde exemplum Bullæ in Cœna Domini; notula item casuum nobis reseruatorum; postremò absolutionis forma: ne ex memoriæ defectu in re tam graui sacerdotem errare contingat.

Ante Solis ortum, aut post Solis occasum confessiones, præsertim mulierum, nolumus audiri: sed si propè feriam quintam in Cœna Domini necessitas non suaderet modo; sed expressè etiam vrgeret, luminibus, quæ noctem in diem vertant, coram sedibus confessinalibus accensis, id fieri permittimus.

CAPVT IV.

POenitentes verò sciant cum ad tribunal Confessionis accedunt, se reos esse, & tanquam subditos supponi correctioni, & iudicio Confessarij: quem tanquam sibi Superiorem, & Iudicem, nec non animæ suæ Medicum agnoscere debent. Ideo ea, qua decet, humilitate se gerant, vt quantumuis ipsi nobilitate, vel dignitate præluceant, considerent sacerdotem, DEI personam referre: ac propterea demisso vultu, capite detecto, genibus

flexis ad pedes eius procumbant, & prouoluantur: bonaq. fide, atque intimo cordis dolore, spe veniæ impetrandæ, animæ suæ plagas, & vulnera illi distinctè, & sigillatim studeant indicare, atque aperire, pœnitentiam ab illo imponendam alacri animo, atque prompto executuri. Nec permittant sacerdotes aliquem stantem, vel sedentem operto capite peccata sua confiteri: nisi forte ad scandala aliqua euitanda, necessitate vrgente, id facere expediret; quo casu etiam deambulando, perinde ac si inuicem colloquerentur, confessiones audire licet.

Postremò sciant omnes piè, & sapienter ab Innocentio III. summo Pontifice in Lateranensi Concilio statutum esse; vt fideles semel saltem in anno proprio suo Parocho peccata cõfiteantur. Quod salutare decretum in Ecclesia Catholica vsu receptum in vniuersa nostra Diœcesi etiam inuiolatè obseruari mandamus. Verùm in nostra Metropolitana Ecclesia, & alijs Collegiatis Ecclesijs, vbi cura animarum per Capitula exercetur, huic Ecclesiæ mandato satisfactum esse declaramus, si alicui Confessario ex gremio eiusdem Ecclesiæ approbato Parochiani peccata sua confessi fuerint.

Appendatur denique singulis annis ante fores Secretarij Ecclesiæ matricis notula Confessariorum approbatorum tam secularium, quàm Regularium in primis Dominicis Aduentus, & Quadragesimæ: ne aliquis à non habente legitimam potestatem cum damno animæ suæ perperam absoluatur; & vt, quibusnam peccata confitenda sint, scire omnes facilè possint.



TITVLVS XXV.

De Extrema Vnctione.

CAPVT VNICVM.



ICET toto vitæ tempore fidelibus colluctatio aduersus inuisibiles humani generis hostes sit; in vltimo tamen vitæ nostræ periculo extrema contra nos sui roboris experitur, & omnia suæ nequitiæ tela in nos contorquere conatur. Extremæ itaque Vnctionis sacramentum diuina gratia ita muniuit clementissimus Dominus, ac Redemptor noster IESVS CHRISTVS, vt nobis in vltima illa lucta firmissimum, & robustissimum aduersus iacula nequissimi voluerit esse præsidium. Maximo igitur apud fideles in honore sacramentum hoc esse debet; quando in eo morbo leuamen afflicti corporis, & in separatione animæ maximum consequitur adiumentum. Quamobrem seruetur sacrum infirmorum oleum decenter in aliquo vase argenteo, vel stamneo cum bombice penes fenestellam sera clausam in Secretario ab alijs separatam; & cum ad infirmos defertur, in aliqua bursa ex corio deaurato rubri, vel violacei coloris includatur: quæ cordulis accommodata pendens à collo per sacerdotem tutè, & commodè asportari possit.

Parochus verò, vel sacerdos, ad quem huius sacramenti administratio pertinet, antequam ægrotum sacra extrema vnctione liniat, sacramenti huius præstantiam, atque vtilitates illi breuiter explicet: eumq. ad illud deuotè suscipiendum, & ad peccata per eum in suæ vitæ cursu commissa detestanda hortetur: præcipuè verò, vt ea se fide vngendum præbeat, ipsum moneat, qua olim ij, qui ab Apostolis sanabantur, se ipsos offerre consueuerunt.

Caueant prӕterea Parochi, vel ij, ad quos in Ecclesijs, vbi cura animarum per Capitula exercetur, hoc sacramentum pertinet ministrare, ne in eo exhibendo tardi, & negligentes sint: neve illud in id tempus differant, cum ӕger sensibus, & vsu rationis destitutus animam agere incipit: conuenit enim integris adhuc sensibus, & vsu rationis vigente, hoc suscipi sacramentum; quo infirmus vberiorem gratiam, & solidiores fructus ex eo percipere valeat. Quòd si vel eorum tarditate, vel morbi vi, aut aliquo improuiso casu, cum accesserint; ӕgrũ sensibus, & vsu rationis carentem repererint; eum nihilominus, dummodo adhuc vitӕ spatium superest, omnino perungere debent. At si intér vngendum viuere desierit, ab vlteriori vnctione abstineant; &, si dubium sit, an adhuc viuat, sub conditione, *si viuus es, &c.* ad finem vsque perungant.

Sciant tamen non pueros, sed adultos tantum, non tamen eos, qui extremo supplicio afficiuntur, sed quos infirmitate corporis ad vitӕ exitum proximos esse compererint, sacro Extremӕ vnctionis sacramento inungendos esse. Sed quoniam in hoc sacramento, sicut in cӕteris, diuina gratia confertur, caueant, ne aliquem sacra vnctione perungant, quem peccati mortalis, quod gratiӕ impedimentum est, nouerint labe conspersum. Ideo perpetua consuetudine Ecclesiӕ non nisi confessis, & sacra communione refectis (nisi necessitas aliter suaserit) extremӕ vnctionis sacramentum administrari consueuit.

Semel verò in vna tantum infirmitate administrari debet. Ideo non initio ipsius, neque passim, vbi periculum vitӕ non adest, vel leue est; sed vbi ex Medici prudentia tempus opportunum esse constiterit, ad huius sacramenti collationem deueniatur. Illud tamen diligenter aduertant, vt verba cum proferuntur, tempori congruo actui vnctionis respondeant: nec vnus vngat, alter verò verba proferat: sed vnus, idemq. sit, qui verba proferat, & inungat. Omnes interim dum vnctio peragitur, qui prӕsentes intersunt, pro infirmo ad DEVM preces effundant: illumq. ad patienter morbi vim, mortemq. imminentem tolerandam, opemq. DEI implo-

randam,

randam, & nomen Domini IESV, ſaltem corde (ſi ore non poterit) inuocandum hortentur, atque animos addant.

Corpus verò infirmi inunctum ſtatim bombice abſtergatur: eam autem ſacerdos in infirmi domo non deſerat; ſed ad Secretarium vſque comburendam ſecum adducat, & cineres eius in ſacrarium reponat. Quòd ſi eam, vel (quod peius fortaſſe foret) vas ſacri olei ibi reliquerit, per menſem ſuſpendatur: & grauiori etiam pœna puniatur, ſi inde aliquod ſcelus fuerit ſubſequutum.

TITVLVS XXVI.

De Sacramento Ordinis.

CAPVT PRIMVM.



ACRAMENTVM Ordinis etſi ad ſalutem ſingulis fidelibus minimè ſit neceſſarium; in vniuerſum tamen & Eccleſiæ DEI neceſſarium exiſtere, & in ea præclariſsimum haberi inde patet, quòd cætera ſacramenta non niſi ab ijs, qui ſacris Ordinibus honeſtati ſunt, miniſtrari debent: quòd de manibus ſacerdotum ſanctum ſacrificium, immaculata hoſtia, ſubſtantia panis in corpus, & vini in ſanguinem verbis conſecrationis conuerſa, Omnipotenti DEO offeratur: quòd denique huius ſacramenti poteſtate peccata hominibus dimittantur: quod adeo glorioſum eſt, vt plurimos in Euangelio DEVM glorificaſſe legatur, quia talem dediſſet hominibus poteſtatem.

Quamobrem ſacramento Ordinis initiandi, in ſortem Domini, & partem regiminis Eccleſiæ vocati, omni virtute, & ſanctitate prælucere deberent: vt ſuper candelabrum conſtituti, ſic eorum virtus omnibus in domo DEI luceret, vt viderent eorum bona opera, & DEVM, qui in cœlis eſt, inde glorificandi occaſionem arriperent.

Quo-

Quoniam autem à sacro Tridentino Concilio satis, abundeq. plurima sancita sunt, vt ad pristinum Ecclesiæ institutum Ordinum collatio reuocaretur, & fieret; ideo non solum ea, quæ distinctè ab ipso ordinata sunt; ad vnguem in nostra Diœcesi circa Ordinum collationem obseruari mandamus; verùm etiam, vt ea re ipsa, non secundum litteræ corticem, omnino seruentur, nonnulla statuenda esse decreuimus.

CAPVT II.

CVm igitur in primis sacri Concilij Tridentini decreto expressè caueatur, non esse prima tonsura initiandos, nisi illos, de quibus probabilis coniectura sit, eos non secularis iudicij fugiendi causa, sed vt DEO fidelem cultum præstent, hoc vitæ genus elegisse; & quotidie nos experientia doceat, non solum ad iudicium seculare eludendum, verùm etiam ad collectas publicas in graue Vniuersitatum præiudicium fraudandas, non autem ad fidelem cultum præstandum primam Clericalem tonsuram passim à plurimis suscipi; eiusdem sacri Concilij dispositioni quantum possumus, in hac parte inhærendo, statuimus; vt nemo in posterum supra quartumdecimum ætatis suæ annum prima tonsura initietur, qui ea litterarum notitia præditus non sit, quæ ad maiores Ordines aditum idoneum illi patefacere possit: quiq. iuramentum in manibus Vicarij nostri generalis non emittat, se non secularis iudicij fugiendi, aut publicarum collectarum fraudandarum causa clericalem tonsuram sumere velle; sed vt DEO fidelem cultum præstet, hoc vitæ genus elegisse. Infra ætatem verò quatuordecim annorum ingenio rudibus, & nullam bonæ indolis litterarum apprehendendarum spem præseferentibus, prima tonsura ne conferatur. Parentes verò, siue consanguinei, vel tutores, qui plures filios, vel pupillos fratres prima tonsura ante quartumdecimum ætatis annum initiari petunt, non audiantur; nisi præstito per eos iuramento, vt supra, se in fraudem publicarum collectarum id non petere.

CAPVT III.

VErùm quoniam eiuſdem Concilij decretis cauetur, non omnes in ætate legitima conſtitutos; ſed dignos tantum, & quorum probata vita ſenectus ſit, ad maiores Ordines aſſumendos; eosq. in minorum Ordinum exercitatione, & præcipuè crebriori corporis CHRISTI communione probandos eſſe; ac propterea expreſsè præcipit, vt qui ad Ordines maiores promoueri ſe petunt bonum à Pârocho teſtimonium afferant: ideo huiuſmodi decretis inhærendo ſtatuimus, vt in Eccleſijs, in quibus cura animarum per Capitula exercetur, huiuſmodi teſtimonium per Capitulum, & Clerum fieri debeat: non tamen per ſubſcriptiones ſingulorum extra Capitulum; ſed Cancellario per ſecreta ſuffragia in pleno Capitulo iniungatur, vt illud in ſcriptis, Capituli nomine, redigere, & publico ſigillo munire curet. Inter alia verò in huiuſmodi teſtimonijs tam per Pârochos, quàm per Eccleſiarum Capitula faciendis, expreſsè contineatur, eos, qui in minoribus Ordinibus conſtituti ſunt, ſingulis menſibus ſemel in tertia Menſis Dominica in Miſſa maiori, vt ſupra ſancitum eſt; Diaconos verò, & Subdiaconos quoties celebranti ſacerdoti inſeruierunt, vt decreto eiuſdem ſacri Concilij cauetur, ſanctiſſimam Euchariſtiam ſolitos fuiſſe ſumere. Præter hoc fidem etiam afferre debeant à prima Dignitate, Sacriſta, Magiſtris cæremoniarum, & Punctatore Chori ſubſcriptam, quæ aſſiduum eorum ìn Eccleſia miniſterium, & debitam erga maiores reuerentiam, & obedientiam teſtetur. Qui ſine teſtimonijs ſupradicta continentibus ad ordinationem, cum illius tempus aduenerit, acceſſerint, ſe conſequendorum Ordinum omni prorſus ſpe carere certò ſciant.

CAPVT IV.

CVm nemo ad maiores Ordines ſine titulo, ex quo decenter viuat, promoueri poſſit: titulus autem vel Penſionis, vel Be-

neficij Eccleſiaſtici, vel Patrimonij eſſe debeat; ne ſumma hæc in incerto vagetur, cum non ex bonorum valore, ſed ex annui redditus quantitate ſit æſtimanda; expreſsè cauemus, penſionem, vel beneficium, vel patrimonium, quod pro titulo allegatur, ſummam triginta ducatorum annui redditus conſtituere debere, vt ſufficiens ad ſuſcipiendos maiores Ordines eſſe dicatur. Quam triginta ducatorum ſummam non perpetuò hac Synodali conſtitutione definitam eſſe volumus; ſed donec aliter in Concilio Prouinciali duxerimus ſtatuendum.

Illud autem monitos eſſe volumus, ne ſurreptitiè in hac parte Ordines ſuſcipiant, patrimonium non fictum, aut ſimulatum, non cum alijs commune, non litigioſum; ſed proprium, verum, & pacificè poſſeſſum eſſe debere. Et quoniam idem eſſet ſine titulo Ordines ſuſcipere, & poſt illos iam ſuſceptos, ſine titulo, vnde viuere poſſint, remanere; non ante ad Ordines ſuſcipiendos aliquis admittatur, quàm coram noſtro Actorum Magiſtro expreſsè cauerit, ſe titulum huiuſmodi ſine noſtra licentia non alienaturum, donec alios maiores redditus eccleſiaſticos, vel amplius patrimonium, ex quo decenter viuat, fuerit conſecutus.

CAPVT V.

ET vt omnia in Ordinum collatione iuxta Concilij Tridentini decreta ritè, & rectè fiant, & exequantur; per menſem, antequam ordinatio habeatur, præcedat edictum; in quo clarè, & diſtinctè ea omnia explicentur, quæ ad ſingulos Ordines ſuſcipiendos neceſſaria ſunt, aut ad eos aliquo modo ex eiuſdem ſacri Concilij diſpoſitioue pertinent: ijs additis quæ nos, eiuſdem Concilij decretis inhærendo, vt ſupra, ſtatuenda eſſe cenſuimus.

Verùm examinatoribus Synodalibus noſtris, ne aliquid ab examinandis, vel examinatis petant, aut etiam à ſponte dantibus accipiant, pœna ijs ſtatuta, quæ ſimoniacos manet, expreſsè prohibemus: quin eos antequam examinandi officium exercendum ſuſcipiant, in manibus Vicarij noſtri generalis iuramentum præ-

ſtare

ſtare iubemus, ſe nullam perſonarum acceptionem habituros, nec aliquid amicitiæ, vel gratiæ daturos, aut quicquam hac in re carni, vel ſanguini conceſſuros fore.

Demum Dominico die, qui proximè ordinationem antecedet, Capitula Eccleſiarum, & Parochi cum ieiunium illius hebdomadæ denunciant, populum hortentur, vt illud pium opus cum oratione coniungant, & publicis indictis proceſſionibus, & ſupplicationibus DEVM humiliter deprecentur, vt Archiepiſcopo ſacros Ordines conferenti, ita gratia ſua benignus aſſiſtat, vt optimos quoſque non indignos ad ſacros eccleſiaſticos Ordines promoueat; & illorum virtutes, quos ad ſacros Ordines euehi continget, SPIRITVS SANCTI donis magis, ac magis in dies augere dignetur.

TITVLVS XXVII.

De Sacramento Matrimonij.

CAPVT PRIMVM.



EA eſt erga nos DEI bonitas, & benignitas, vt etiam in ijs ſuam gratiam nobis conferre dignatus ſit, ad quæ natura duce trahimur: nec illi ſatis fuit primis parentibus in eorum creatione præceptum ſobolis procreandæ imponere; niſi in humanæ naturæ reparatione Matrimonij ſacramento, quod magnum eſſe teſtatur Apoſtolus, eidem præcepto certos limites præſcripſiſſet, & ſuæ gratiæ munera contuliſſet. Quoniam autem in huiuſmodi ſacramento CHRISTI, & Eccleſiæ ſponſæ inuiſibilis vnio repræſentatur; fideles, qui ad hoc vitæ genus vocati ſunt, illud in primis animaduertere oportet, ne oſcitanter ad huiuſmodi ſacramentum ſuſcipiendum accedant, quaſi vt libidini vacent, aut in filiorum procreatione, & vitæ con-

iugalis suauitate temporalia tantum commoda meditentur, & pro fine habeant: sed secum animo reputent vberrimos gratiæ fructus, qui ex hoc sacramento colliguntur: DEVMQ. humiliter exorent, vt sibi vitæ innocentiam, pacem, & mutuum amorem conseruare dignetur; & eam sobolem concedat filiorum, qui in circuitu mensæ ipsorum vt nouellæ oliuarum assideant; & post huius vitæ cursum vnà cum ipsis, cœlestis mensæ, in qua gloriosus DEVS sumitur, participes effici mereantur.

Ideo Matrimonia, non seruata forma à sacro Concilio Tridentino definita, ne contrahantur: & si aliter fieri contigerit, nulla omnino esse ex eiusdem sacri Concilij Tridentini dispositione declaramus.

Et vt clandestinorum matrimoniorum omne penitus deleatur nomen, decretum eiusdem sacri Concilij vulgari lingua redditum bis in anno, videlicet in primis Dominicis mensium Ianuarij, & Iulij in singulis Ecclesijs, vbi maior populi frequentia conuenerit, publicè alta voce legi, & recitari mandamus: vt omnes intelligant non per solam carnalem copulam; sed per mutuum consensum coram Parochò, vel alio sacerdote de ipsius Parochi, vel Ordinarij licentia, & duobus, vel tribus testibus præstitum, matrimonia perfici, & stabiliri.

Et licet denunciationes ad sacramenti formam non pertineant, aut necessariæ sint: nullus tamen Parochus, vel, vt supra, sacerdos aliquos in matrimonium coniungere audeat, vel præsumat, nisi factis prius denunciationibus, iuxta eiusdem sacri Concilij decreti tenorem. Si aliter fecerint, præterquam quòd grauiter peccant, nostræ etiam experientur vltionis rigorem.

Verùm antequam denunciationes facere aggrediantur, de legitima ætate eorum, qui matrimonium contrahere volunt, certiores fiant: cum non ante decimumquartum ætatis annum masculis, & ante duodecimum fœminis matrimonia contrahere, nisi malitia defectum ætatis suppleat, iure sit permissum. Vbi factis denunciationibus legitimum impedimentum appareret, à matrimonij celebratione omnino abstineant: vbi verò dubium se offerret, superse-

deant,

deant, & rem ad Archiepiſcopum deferant; vt eius iudicio, & mandato negotium tutius peragatur. Viduis autem ad ſecunda vota nequaquam pateat aditus, niſi, certis teſtimonijs obitu alterius coniugis Archiepiſcopo demonſtrato, ab eo contrahendi matrimonij licentia impetretur. Nec audiantur ij, qui longam abſentiam, & mortis veriſimiles, & validas coniecturas allegant, vt matrimonia contrahant; ſed penitus arceantur.

Eodem modo ignoti, aduenæ, incertisq. vagantes ſedibus à nemine Parochorum, vel, vt ſupra, ſacerdotum ad matrimonia contrahenda admittantur; niſi prius eos liberos eſſe, & alterius matrimonij vinculo non teneri plenè conſtiterit; & ſuî Ordinarij litteris denunciationes in eorum propria Parochia factas eſſe, nihilq. impedimenti reuelatum fuiſſe.

Impedimenta matrimonij, vt populus, quid denunciare debeat non ignoret, vernacula lingua reddita in folio aliquo diſtinctis notis deſcribantur; atque in interiori parte muri Eccleſiæ prope ianuam affigantur, & ſingulis ſex menſibus renouentur: eodem etiam tempore edicant Parochi, vel ſacerdotes, vt ſupra excommunicationi eo ipſo ſubiacere illos omnes, qui aliquod impedimentum falsò ſcienter attulerint, quo matrimonium legitimè contrahendum malitiosè impedire vellent.

CAPVT II.

NIhil ad matrimonij validitatem magis ſpectat, nihilq. in illius adminiſtratione magis habendũ ante oculos eſt, quàm vt omnino liberæ ſint contrahentium voluntates. Illud igitur Parochi, ſiue ſacerdotes, quibus hoc onus incumbit, præcipuè caueant, ne illos in matrimonium coniungant, de quorum libera voluntate ambigitur; ſiue quòd metu reuerentiali parentum, vel conſanguineorum minis, aut Superiorum concuſſionibus directè, vel indirectè ad contrahenda matrimonia, quaſi nolentes, inducantur: cum non ex parentum, aut conſanguineorum placito, vel Superiorum auctoritate; ſed ex contrahentium libera voluntate tota vis huius

pendeat ſacramenti. Quod ne omnino eueniat, eiuſdem ſacri Concilij Tridentini decretum, quo ſententia excommunicationis damnantur ij, qui quouis modo directè, vel indirectè matrimonij libertatem violauerint, vulgari lingua redditum bis in anno iiſdem, vt ſupra, diebus, in ſingulis Eccleſijs populo publicetur. In ſupradictis verò dubijs caſibus Archiepiſcopus conſulatur, vt eius auctoritate puellæ in tutum, & non ſuſpectum locum traducantur: vbi ea, qua decet, modeſtia, & honeſtate voluntas earum exploretur, & ipſæ liberè ſuam ſententiam proferant; & an alteri fidem prius dederint (quod plerunque accidere ſolet) vel votum caſtitatis fecerint, clarè appareat.

CAPVT III.

CVm ea, quæ de benedictione ſacerdotali ante cohabitationem ſuſcipienda ſtatuit, & de ſacra communione accipienda hortatur coniuges ſancta Tridentina Synodus, in noſtra Tarentina Ciuitate, & Diœceſi minimè obſeruari videamus (coniuges enim nedum benedictione non accepta; ſed nec expectatis denunciationibus paſſim commiſcentur: quò fit, vt matrimonia non à diuina gratia; ſed à grauiſſimis peccatis initium ſumant; neque vt Eccleſiæ ſacramenta, ſed vt ciuiles contractus, perinde ac apud infideles, à fidelibus ſuſcipiantur) huic malò, quod omnes ferè inuaſit, occurrere, quantum in Domino poſſumus, cupientes ſtatuimus, ne Parochi, vel ſacerdotes, vt ſupra, ſine noſtra licentia gratis in ſcriptis concedenda alibi, quàm in ipſis Eccleſijs parochialibus, vbi ſacra adminiſtrare decet, nec alio tempore, quàm de mane, Miſſam de more Eccleſiæ celebrando, coniuges in matrimonium coniungere audeant, vel præſumant. Vt vno, eodemq. tempore, & benedictionem ſacerdotalem accipiant, &, ſi fieri poteſt, conſcientia à peccatis confeſſione expurgata, ſacra communione ſe reficiant. Quod vt omnino ab illis præſtetur, Parochi, vel ſacerdotes, vt ſupra, ſtatim factis tribus denunciationibus, illis ſacri Concilij Tridentini monita in mentem reuocare teneantur.

Parochi, vel sacerdotes, qui contra huius decreti tenorem sine nostra licentia coniuges in matrimonium coniungere ausi fuerint, ipso facto ab exercitio suorum Ordinum per mensem sint suspensi; & alijs etiam arbitrio nostro pœnis puniantur.

Et ne in posterum, stupra, fornicationes, & quandoque etiam incestus, quæ prætextu futuri matrimonij, eius consummationis titulum falsò sibi vsurpant in grauissimam DEI iniuriam, & eorum, qui contrahunt, damnationem, committantur; licet à bonæ memoriæ prædecessore nostro LELIO BRANCACCIO prouisum fuerit, pœna statuta coniugibus excommunicationis ipso facto incurrendæ, statim atque vir sponsæ domum ingressus fuerit, à qua non aliter absolui possit, quàm certa pecuniarum summa eleemosynæ titulo soluta, vel inter Missarum solennia publica pœnitentia in Ecclesia peracta: nihilominus quoniam nos experientia quotidie docet, huiusmodi remedium nihil profecisse, & passim sponsos spreta excommunicationis sententia nubendæ domum ingredi, adductos præsertim, quod si aliter fecerint, vel aliquod corporis vitium in sponsæ persona arguatur; vel sponsus in amando tepidus appareat; vel, si osculum amoris non intercedat, tractatus matrimonij facilè dissolui possit. Nos, ne hoc vlterius euenire, sponsosq. ita de facili sententiam excommunicationis incurrere contingat, Prædecessoris nostri prædictum Decretum pro parte moderandum, & pro parte hac nostra Synodali constitutione duximus ampliandum. Statuimus igitur, vt sponsi non per ingressum domus, neque per amoris osculum publicè coram consanguineis datum, sed per corporum commixtionem tantum, ante susceptum matrimonium secutam, sententiam excommunicationis incurrant: à qua tamen non aliter absoluantur, quàm solutis triginta carolenis pro eleemosyna pio vsui arbitrio nostro applicanda, vel publica inter Missarum solennia in Ecclesijs pœnitentia peracta. Et, ne coniugibus ante matrimonium vlterius peccandi pateat aditus, parentibus sponsarum, vel (si ipsi non adsint) tutoribus, vel proximioribus consanguineis, quorum officium est iuuenum licentiam coercere, peccata huiusmodi ne sequantur, impedire, at-

que,

que, vt omnia à coniugibus ex præscripto Sanctæ Matris Ecclesiæ fiant, curare, præcipimus, & iubemus, vt illos inuicem commisceri non permittant. Quod si contra huius nostri præcepti tenorem eorum negligentia, & culpa peccata huiusmodi euenire contigerit, eo ipso sententiæ excommunicationis prædictæ illos pariter volumus subiacere.

Quoniam verò nonnulli reperiuntur, qui factis denunciationibus, non tamen seruata forma à Concilio Tridentino præscripta, vitam in concubinatu oscitanter ducunt, & matrimonium contrahere negligunt; Parochi, vel sacerdotes, vt supra, an tales reperiantur diligenter inquirant: &, si aliquos repererint, trina monitione canonicè illos admoneant, vt matrimonium in facie Ecclesiæ, vt supra contrahere debeant: si postea in contumacia perseuerauerint, rem ad nos deferant, vt excommunicationis gladio feriantur, & compellantur.

CAPVT IV.

QVi intra gradus prohibitos scienter matrimonium contraxerint, re statim cognita separentur. Et cum ex decreto sacri Concilij Tridentini huiusmodi contrahentes omni spe dispensationis impetrandæ careant, & ex Constitutione Clementis Papæ V. sententiam excommunicationis incurrant; ideo ne fidelium conscientiæ inextricabilibus laqueis innodentur, curent Parochi, & sacerdotes, vt supra, vt populus ea de re frequenter, vel ab ipsis, vel à Prædicatoribus moneatur.

Qui verò ignoranter contraxerint, impedimento detecto separentur, donec à sancta Sede Apostolica dispensatione impetrata, illius dispensationis virtute fuerit cum illis à Superioribus dispensatum.

CAPVT V.

TEmporibus à iure prohibitis, hoc est ab Aduentu Domini vsque ad Epiphaniam, & à Feria quarta Cinerum per totam

tam Octauam Paschæ, nuptiæ ne fiant, nisi de nostra licentia speciali, & tunc omnibus remotis solennitatibus.

Postremò librum habeant Parochi, vel sacerdotes, vt supra, in quo nomina, & cognomina contrahentium, & testium, notatis die, mense, & anno, iuxta formam inferius suo loco apponendam, fideliter describant.

CAPVT VI.

Contra concubinarios autem, quoniam hoc graue peccatum in eiusdem sanctissimi sacramenti contumeliam maximam cedit, iuxta sacri Concilij Trident. decretà seuerissimè procedatur.

TITVLVS XXVIII.

De Vita, & honestate Clericorum.

CAPVT PRIMVM.



AD Clericalis vitæ genus assumpti, si sui nominis etymologiam considerent, sortis Dominicæ se participes effectos esse comperient. Idem enim græcè (Clerus) quod (sors) latinè significat. Præclarum igitur vitæ institutum clericos amplecti oportet; vt eos tanquam sortem, & hæreditatem suam DEVS verbis propheticis agnocat: *Funes ceciderunt mihi in præclaris; etenim hæreditas mea præclara est mihi.*

Claritas verò ea esse debet, vt dicente illis Domino: *Vos estis lux mundi*, omnium virtutum, & præsertim humilitatis splendore præluceant: & bonorum operum lucernas in manibus gestantes, viam cæteris, qua itur ad DEVM, anteeundo, demonstrent. Hoc autem ita demum facilè præstabunt, si sapientes fuerint, &

disci-

disciplinam honestatis non abiecerint. Timorem igitur Domini, qui est omnis sapientiæ initium, toto corde amplectentes, litterarum scientiam assequi in primis studeant; ne qui sal terræ à Domino nuncupantur, ob litterarum ignorantiam ad condiendos populos, quasi infatuati, reddantur inutiles: cum ex Diuinæ legis, & sacrorum canonum ignoratione omnia mala procedant. Et ne illis dici possit, quod per Prophetam Dominus affirmauit: *Quia tu scientiam repulisti, & ego repellam te, ne sacerdotio fungaris mihi*. Clerici omnes in minoribus ordinibus constituti scholas frequentent grammatices, & humanioribus litteris diligenter incumbant. Subdiaconi autem, & Diaconi, ac ætate grandiores præcipuè Parochi, & sacerdotes curam animarum administrantes studia grauiora amplectantur; tempusq. quod à diuinis officijs illis superest, sacris lectionibus concedant. Habeant propterea si non copiam, delectum saltem librorum; atque ad minus necessarios: veluti nouum Testamentum, & vetus, Catechismum Romanum, Concilium Tridentinum, atque has nostras Synodales leges, aliquam præterea casuum conscientiæ Summam, vel Nauarri, vel Siluestrinam.

Casuum conscientiæ conferentijs, & lectionibus, vt supra sancitum est, semper intersint. Diuinum verbum audire nunquam intermittant; Sacerdotes singulis saltem festis diebus Missas celebrent. Diaconi, & Subdiaconi cum sacro solenniter inseruiunt semper: Clerici verò semel in mense, vt supra decretum fuit, communicent.

Nemo Clericorum sine habitu, & tonsura incedere præsumat: tonsura verò abrasis circa verticem in modum coronæ capillis decenter appareat. Vestes nec sordidæ sint, nec elegantes nimis, non coloratæ, sed nigræ. Quas in sacris Ordinibus constituti in Ciuitate, & Oppidis insignioribus gestant, ad talos vsque protendi iubemus. In casalibus autem, & in itinere, & quas Clerici minoribus Ordinibus initiati deferunt, breuiores fieri permittimus, dummodo tamen illæ genua contegant. Externa verò vestis internæ æqualiter respondeat: ne si vna altera breuior esset, vel turpi-

tudo

tudo appareat, vel leuitas arguatur. Calceis non incisis, neque ex corio albo confectis vtantur: caligas non coloribus procacitatem, sed modestiam repræsentantibus intinctas deferant. Vestitu interiori non sumptuoso, vel auro ornato, sed simplici, & honesto induantur:ne,si aliquando vestem longam deponere aliquo improuiso casu cogantur, militis, aut sponsi personam repræsentare videantur. Camisiæ circa collum, & manus, non rugosæ, neque acu elaboratæ, sed planæ appareant: bireto, non pileo, intra Ecclesias, & in sacris processionibus, nisi pluuia vrgente, vtantur. Pileus verò, quo vti debent, non militaris formæ, sed figuræ sit modestioris; non floccis, atque alijs ornamentis, sed simplicitate, & grauitate decorus. Anulum nemo clericorum gestare præsumat, qui Doctoratus laurea, vel Dignitatis prærogatiua præditus non sit; ij tamen illum cum celebrant deponere teneantur. Qui verò cum anulo sacrum facere ausus fuerit, ipsius anuli, & insuper valoris illius amissione mulctetur.

Crines, seu cincinnos clerici ne nutriant: sacerdotes verò barbam è superiori labro ita resecent, vt sumptioni corporis, & sanguinis Domini non sit dedecori, vel impedimento.

Personati nullo modo incedant: à choreis, comœdijs, spectaculis recitandis abstineant: circulatorum nugis, histrionum fabulis non intersint: iocularia ridicula, & scurrilia omnia, quæ ad rem non pertinent, à se aliena esse putent, & profiteantur: turpe est enim eos in scenis ludere, ac risui, genioq. indulgere, quos in Ecclesijs DEO inseruire, sacra administrare, & omnia decora cum grauitate peragere oportet.

Alearum, tesserarum, & taxillorum ludos illis omnino interdicimus. In ludis verò, qui exercendi corporis gratia, & recreandi animi causa permittuntur, ita se gerant; vt non auaritiæ cupiditate, notabilem pecuniarum summam in discrimen adducendo, ludere videantur; nec in ijs multum temporis absumant, aut in locis publicis occupentur.

De nocte post primam horam per Vrbem, vel Oppidum ne deambulent: sed domi se contineant;si verò vrgente necessitate de

nocte illis eundum sit, secum lumen deferant: cantilenas non recitent; nec alijs, qui eas recitent, se immisceant.

Arma cuiuscunque generis ne deferant, prout edictali nostra Constitutione sancitum est; quam præsenti quoque decreto innouamus.

Nemini vim, vel iniuriam verbis, vel factis inferant: non in foro seculari testimonium proferant; sed potius omnes ad concordiam, & pacem exemplo, & verbis hortentur.

Redditus ecclesiasticos non auarè, vt inde se, & suos ditent accumulent, nec inconsulta prodigalitate profundant: sed in necessarium vsum conuertant: & ea, quæ supersunt, vel in Ecclesiæ ornamentis, vel in alijs pietatis, & charitatis operibus expendant.

Illicitas negotiationes, & mercaturas neque per se, neque per interpositas personas exerceant; non fruges, oleum, & alios terræ fructus, vel alia mercium genera per se, vel per alios emant, vt pluris vendant. Non laicorum prædia conducant, nec mechanicis artibus dent operam; non tutelas, non rei rusticæ, aut familiaris administrationes, nobis inconsultis, accipiant. Non iudicis, non medici officio fungantur: nec notariatus, aut tabellionatus munus in foro seculari suscipiant: neque procuratoris, & aduocati partes ibidem subeant; nisi in causis pauperum, & miserabilium personarum gratis, & nulla penitus mercede recepta.

Illicitis venationibus, canes, & accipitres superfluè alendo, ne dediti sint.

Cum fœminis cuiuscunque generis, consanguineis tantum proximioribus non suspectis exceptis, ne cohabitent: neque inhonestis mulieribus (vt omnis commercij amputetur occasio) domos suas locare præsumant.

Conuersationem habeant bonam: ideo illorum commercia deuitent, qui publicè ab omnibus malè audiunt: sed potius cum ijs amicitiam ineant, qui apud omnes honestatis, & virtutis testimonio commendantur.

Tabernarum, & cauponarum ingressum, vbi frequentes peccandi occasiones esse solent, illis (præterquam in itinere necessitatis

sitatis causa): penitus esse volumus interdictum.

Conuiuia, & comessationes fugiant, & detestentur: &, si quando ad subrustici pudoris notam euitandam conuiuijs illos interesse contigerit, modestiam, & moderationem ostendant; modico vino, in quo adesse luxuriam testatur Apostolus, vtantur: non pocula propinando, & compotationes prouocando procacitatem præferant; sed sobrietatis, & temperantiæ exemplum alijs præbeant; nec in cachinnos, & risum, quem in stultorum hominum ore abundare, ait Salomon, prorumpant; sed grauitatis decore præluceant.

Non ante cibos sumere incipiant, quàm illis benedixerint: nec sine gratiarum actione ab illorum refectione recedant.

Colloquijs inhonestis, & turpibus, quæ bonos mores corrumpere solent, ne aures præbeant; nec libros res turpes obscœnas, aut ridiculas, vel lasciuas continentes legant, vel apud se retineant. Nec facilè alios, aut detractionibus, aut derisionibus insectentur; sed ita linguam suam refrænare sciant, vt eorum religionem non esse vanam omnes intelligant.

Officium diuinum, quod recitare, vel Beneficij, vel Ordinis, vel vtriusque obligatione tenentur, non solum ore, verùm etiam animi attentione recitent: neque inter dicendum huc, aut illuc animo vagentur; sed toto cordis affectu in id tantum intendant; & licet omnem diligentiam adhibere debeant, vt ne per minimum quidem temporis spatium animum aliò auertant, consultissimè tamen facient, si antequam officium dicendum aggrediantur, coram DEO humiliter protestentur, se eo animo officium dicendum suscipere, vt in ea re præstanda muneri suo plenè satisfaciant.

Clerici autem in minoribus Ordinibus constituti, saltem preces horarias Beatæ MARIAE singulis diebus recitare teneantur.

Qui verò in supradictis, quæ nos ex sacrorum Canonum, & Conciliorum dispositionibus ad Clericorum vitæ honestatem pertinentia excerpsimus, deliquerit; & suæ vocationis oblitus mores suos ad honestæ vitæ disciplinam conformare neglexerit; aut salutari pœnitentia, vel carcere, aut pecuniarum solutione, vel exilio,

aut à munere ſuorum Ordinum ſuſpenſione, vel alijs etiam grauioribus pœnis pro modo culpæ arbitrio noſtro reſpectiuè coerceatur, & puniatur.

TITVLVS XXIX.

De Dignitatibus, Canonicis, & Capitulis Eccleſiarum.

CAPVT VNICVM.



VM in Eccleſia DEI, quæ vt caſtrorum acies ordinata eſſe debet, officia, & dignitates partitæ ſint; vt vnuſquiſque, quod ad ipſum ſpectat, exequatur, neque ordinem, in alienam meſſem falcem immittendo, perturbet, in ſingulis Eccleſiarum Secretarijs tabellam appendi mandamus, in qua cuiuſque Dignitatis officia, & munera ita clarè deſcribantur, vt quilibet intra ſui officij limites ſe contineat; &, quæ ad ipſum pertinent, adimplere non negligat, vel prætermittat; omniſq. diſcordiarum,& litium amputetur occaſio: &, ne in huiuſmodi tabellæ deſcriptione aliqua controuerſia oriatur, eam per deputandos à Capitulo cum interuentu, & auctoritate Vicarij noſtri generalis in Ciuitate, & Vicariorum Foraneorum in Diœceſi fieri mandamus.

Canonici verò iuxta ſacrorum Canonum diſpoſitiones viuant; vt re non nomine tantum Canonici eſſe videantur: & ſe aliorum normam, & regulam in Eccleſijs eſſe meminerint.

Capitulum, dum diuina recitantur officia, ne conuocetur, niſi neceſſitas cogeret: quod illius conſcientiæ remittit Synodus, ad quem pertinet Capitulum conuocare.

Statuatur ſingulis menſibus celebrando Capitulo certa dies; vt omnes facilius publicis negotijs pertractandis conueniant: non tamen ex hoc libera facultas ei, qui conuocando Capitulo præeſt,

restrin-

restringitur, quominus semper, cum opus esse iudicauerit, illud conuocare possit.

Quoniam ex improuiso Capitulum, non dato prius campanæ ex alto turris loco consueto signo, sed Secretarij tantum campanula pulsata, conuocari introductum fuit; quo fit, vt pauci inter se colludentes dolosè, postquam alij discesserunt, dato intra Ecclesiam tantum signo, non pro publico bono, sed pro priuatis commodis, & passionibus Capitulum habeant: statuimus in posterum, ne Capitulum aliquo modo celebrari possit, nisi prius tintinnabuli sonus è turri in signum præcedat; ad effectum vt cæteris alijs, qui debent, & volunt, ac possunt commodè interesse, facultas interessendi indirectè, & insidiosè non auferatur.

Capitulum non ante celebretur, quàm precibus ad inuocandam gratiam SANCTI SPIRITVS per digniorem de Capitulo de more præmissis; nec fine gratiarum actione dissoluatur, & terminetur.

Cum Capitulum celebratur, singuli suis locis ex ordine sedeant: modestè, & grauiter vnusquisque suam sententiam dicat: non alter alterum in dicendo interrumpat; sed vsque ad finem sermonem perducere sinat: deinde quæ sibi in eorum, quæ dicta sunt, vel confirmationem, vel reprobationem dicenda occurrunt, non assentandi, vel contradicendi studio, sed ex publico bono proferat. Iurgia, rixæ, & vociferationes procul sunto: tumultus non excitentur. Qui iurgiorum, & rixarum auctor fuerit, ab ingressu Capituli ad tempus arceatur; & alijs arbitrio nostro pœnis pro modo culpæ subiaceat.

Iusiurandum, quod in ingressu Capituli dari consueuit, de non patefaciendo ea, quæ in Capitulo pertractantur, eos non ligare declaramus, qui ad nos, vel alios Superiores ea deferent, quæ illis emendatione digna esse videbuntur.

Vt omnes sciant tempus, quo noui Officiales creari debent, & eorum electio ab omnibus, non à paucis fiat, diem certam ad id statuendam esse censuimus; videlicet vicesimam nonam Iulij. Ad eorundem tamen electionem non, nisi prius Missa de SPIRITV SANCTO cãtata, procedatur, eorũ verò officiũ, si vltra biennium

non

nō prorogaretur,aut cōfirmaretur,maximè probaret hæc Synodus.

Nemo de alterius manu ſcriptum ſuffragium accipiat, vel alteri tradat, vt hactenus fieri conſueuit; cum hoc modò ſuffragia non ex propria ſententia dentur; ſed ad aliorum placitum, & voluntatem: neque colligere aliquis, præter eum, ad quem hoc de iure pertinet, aliquo modo præſumat: ſed vnuſquiſque per ſe ipſum ſuffragium ſcribat; & cui tradendum fuerit liberè tradat. Qui ſecus fecerint, per annum ab ingreſſu Capituli prohibeantur, & inhabiles ad officia obtinenda efficiantur.

Et vt in ſententijs ferendis liberior cuique præbeatur facultas, Capitula Eccleſiarum hortatur, & admonet Synodus, vt reiectis ſcriptis ſuffragijs, ſecretorum ſuffragiorum per fabas, ſiue lapillos vſum recipiant, & amplectantur.

Singulorum Capitulorum laudabiles conſuetudines, & priuilegia à prædeceſſoribus noſtris conceſſa,quæ ſacris Canonibus non aduerſantur, vt præſenti decreto confirmamus,& approbamus; ita eas,quæ contra iuris,& Conciliorum diſpoſitiones inualuerunt, & ea, quæ ab iiſdem conceſſa ſunt, nullius eſſe roboris, & momenti expreſsè decernimus, & declaramus.

TITVLVS XXX.

De Seminario Clericorum.

CAPVT VNICVM.



EMINARIVM Clericorum taxa iam conſtitutura erectum ſub iiſdem regulis,& diſciplinæ modo, viuendiq. inſtituto, quibus cœptum eſt, conſeruetur; donec aliter à nobis in Concilio Prouinciali prouideatur. Curet Magiſter diſciplinarum, vt alumni diligenter ſtudijs incumbant: &,ſi aliquem adeo ingenio rudem eſſe repererit, vt ad addiſcendas diſciplinas nullo modo idoneus eſſe poſſit, rem ad nos

defe-

deferat, vt alius in eum locum sufficiatur, qui magis proficiat. Rector autem Seminarij bonis alumnorum moribus inuigilet: errores non impunitos abire sinat; nec nimia asperitate pueros deterreat; sed eos partim blanditijs, partim seueritate in officio contineat: & semel saltem in mense sacram Eucharistiam sumere faciat. Dati autem, & accepti rationem fideliter describat, & suo tempore reddat.

TITVLVS XXXI.

De Montis Pietatis, Piorum locorum, & Confraternitatum, Magistris, & Administratoribus.

CAPVT PRIMVM.



BONA, quæ ad sustentandam pauperum inopiam, & eorum miseriam subleuandam constituta sunt, vt non in alium vsum, quàm in eum finem, ad quem pia fidelium voluntas illa instituit, conuerti debent; ita vt fidelius, quàm fieri potest, administrentur, sacri Concilij Tridentini decretis inhærendo, statuimus, vt Magistri, siue quocunque alio nomine nuncupentur, piorum locorum administratores, suæ villicationis rationem coram nobis singulis annis omnino reddere teneantur.

Qui supradicta bona in proprium, vel suorum, etiam familiarium vsum sub quouis prætextu, etiam mutui, vel commodati nomine, conuertere deprehensus fuerit, ad dupli restitutionem teneatur: & ad alia huiusmodi officia exercenda inhabilis perpetuò efficiatur, & incapax.

Qui aliter, quàm eius pij loci institutio requirit, vel contra nostras Synodales constitutiones eleemosynas erogauerit, de proprio teneatur.

Quò huiusmodi administrationes in eorundem piorum locorum vtilitaem, & beneficium facilius cedant, non ante Magistri, siue Administratores nouiter electi administrationem suscipiant, quàm iuramentum in manibus Vicarij nostri generalis præstiterint de rectè, & fideliter administrando; deq. non alienando bona, vel ea præter eiusdem pij loci institutum aliquo modo dispensando; aut vltra triennium locando sine speciali Sedis Apostolicæ concessione infra certum tempus, & ante traditionem possessionis impetranda.

CAPVT II.

IN electionibus Magistrorum huiusmodi, si aliqua controuersia oriatur, curia nostra Archiepiscopalis consulatur; vt eius auctoritate negotium terminetur. Quicunque verò Iudicis secularis auctoritatem, & officium implorare ausus fuerit, ipso facto sententiam excommunicationis incurrat: quin eosdem Magistratus, qui in huiusmodi causarum cognitione, vel ex officio, vel ad alterius petitionis instantiam se intromiserint, eidem excommunicationi pariter decernimus subiacere.

Nemo pariter ex supradictis Magistris occasione suæ administrationis, & in causis, vbi de piorum locorum interesse agitur, vti reus in ius coram tribunali seculari vocatus, compareat; nemo item eos in supradictis causis in iudicium coram Iudice laico vocare præsumat: nemo denique Iudex secularis huiusmodi causas cognoscere, & piorum locorum Administratores ad se trahere audeat: eos, qui secus fecerint, eo ipso excommunicationis sententiæ decernimus subiacere.

CAPVT III.

IN electionibus demum faciendis non ad aliorum instantiam suffragia dentur: nihil amicitiæ gratia fiat: non carni, non sanguini aliquid concedatur: meminerint si indignos elegerint, & piorum locorum administrationi minus idoneos, vel inutiles præ-


fecerint,

fecerint, de manu illorum DEVM errata omnia fore requisiturum. Præcipuè ab eorum electione abhorreant, qui vel ob lucri cupiditatem, quæ omnium malorum radix est, malè audiunt; vel propria bona dissipasse reperti fuerint: Ideo antequam ad Magistrorum electionem deueniatur, iuramentum ab Electoribus in manibus Vicarij nostri generalis in Ciuitate, & Vicariorum Foraneorum in Diœcesi de meliore eligendo præstari mandamus: maximèq. probaret Synodus, si huiusmodi administrationes, eosdem confirmando, in longum non protraherentur; sed singulis annis noui Magistri, vel Procuratores eligerentur.

TITVLVS XXXII.

De bonis Ecclesiæ, Hospitalium, & aliorum piorum locorum non alienandis, vel vsurpandis.

CAPVT PRIMVM.



QVANTO studio Ecclesiarum, & piorum locorum bona conseruari debeant, inde patet; quod patrimonium CHRISTI appellantur: licet enim Domini sit Orbis terræ, & plenitudo eius, ea tamen tanquam sua propria esse voluit, ac reseruauit. Quamobrem prædictorum bonorum alienationes, concessiones etiam in emphyteusim, siue quouis prætextu, & titulo nuncupentur, & locationes vltra triennium, contra Summorum Pontificum constitutiones, ne fiant. Quod vt facilius obseruetur, Constitutionem Pauli Papæ II. quæ incipit, *Ambitiosæ*, in singulis Parochialibus Ecclesijs bis in anno, videlicet in primis Dominicis Februarij, & Augusti, alta voce legi, & recitari mandamus: vt omnes, quid vetitum illis sit, & quas pœnas incurrant, facilius scire, & intelligere possint.

CAPVT I.

ET vt omnibus, siue Clericis, siue laicis vsurpandi bona Ecclesiæ penitus amputetur occasio, Decretum sacri Concilij Tridentini sess. 22. cap. 11. quo anathemate damnantur bona Ecclesiæ vsurpantes vulgari lingua redditum ijsdem, vt supra, diebus, cum maior populi frequentia ad Ecclesiam conuenerit, pariter alta voce legatur.

Sed quoniam vsurpationes plerumque accidere solent, vel propter tacitam permissionem, vel propter negligentiam eorum, qui beneficia Ecclesiastica obtinent (etenim dum ea vel affinibus, & consanguineis suis, vel ijs, qui alia bona confinia possident, locant, aut ideo tacent, vt illis morem gerant; aut fines bonorum Ecclesiæ scire negligunt; ac propterea locatores fines suos ampliando partem eorum, qui ad Ecclesiam pertinent, sibi vsurpant) ne in nostra Diœcesi hoc vlterius euenire contingat, omnibus ecclesiastica beneficia obtinentibus expresse iubemus, ne illa, aut partem illorum affinibus, & consanguineis suis intra secundum gradum locare præsumant, sub pœna ducatorum 25. in beneficium eiusdem Ecclesiæ arbitrio nostro applicanda, & nihilominus contractus huiusmodi nullius sint roboris, & momenti. Ijs verò, qui confinia bona possident, non aliter bona ecclesiastica, seu piorum locorum locari præcipimus, quàm expresse nominatis in instrumento locationis finibus, & apposito aliquo permanenti signo in ijs, antequam locatores vtilem conductionis possessionẽ accipiant.

Locationes verò bonorum Ecclesiæ, nec non ad pia loca spectantium anticipatis solutionibus iuxta speciale sacri Concilij Tridentini decretum ne fiant.

CAPVT II.

VT bona Ecclesiarum, & ad pia loca pertinentia diutiùs quàm fieri potest conseruentur, neque obliuione, aut tem-

poris iniuria deperdantur; omnibus, & quibuscunque Capitulis Ecclesiarum, & alijs priuatis personis de quolibet ecclesiastico beneficio prouisis, & in futurum prouidendis, siue illa curata sint, siue simplicia; nec non omnibus, & quibuscunque pioru locorum Administratoribus, in virtute sanctæ obedientiæ hac Synodali constitutione expressè præcipimus, & iubemus, vt infra sex mensium spatium à die publicationis ipsius, vel adeptæ possessionis in posterum computandum, omnium, & singulorum bonorum mobilium, & immobilium, iurium, actionum, annuorum censuum, seu redditi-tuum, nominum quoque debitorum, & aliarum quarumcunque rerum, quouis titulo ad suas Ecclesias, seu pia loca pertinentium, rationem diligentissimè conquirere, atque illorum Inuentarium, in quo fines, conditiones, & cætera omnia sigillatim describantur, per publicum Notarium conficere debeant: vocatis ad id, si opus erit, omnibus aliquo modo interesse prætendentibus, vt res cautius peragatur. Duo autem eiusdem Inuentarij authentica exemplaria fiant; vnum, quod apud se, vel Ecclesiam suam, vel pium locum vnusquisque retineat; alterum, quod in Archiuio nostro Archiepiscopali perpetuò conseruandum tradatur. Cum verò Capitulis Ecclesiarum, vel beneficijs ecclesiasticis, aut pijs locis aliquam bonorum accessionem piorum hominum, vel donatione, vel vltimæ voluntatis dispositione fieri contingeret, eius rei duo item publica documenta conficiantur; vt supradicto Inuentario vnum adijciatur, alterum verò penes Capitulum, vel beneficiatum, aut piorum locorum administratores remaneat.

Archiuium verò Archiepiscopale statuatur; in quo non solum scripturæ ad mensam Archiepiscopalem, & Prælatum spectantes; verùm etiam illæ omnes, quæ omnium ecclesiarum, & piorum locorum in tota Diœcesi iura, & actiones continent, distinctè, & separatim conseruari possint: confecto fideliter omnium, & singularum scripturarum manu publici Notarij Inuentario, ibidemq. diligenter custodito. A prædicto autem Archiuio nulla originalis scriptura extrahatur; nisi aliter vrgens necessitas facere cogeret, quo casu Notarij, & testium fides adhibeatur; qui in Inuentario

prædicto diligenter id describat, notatis die, mense, & anno, cui, & cuius gratia prædicta scriptura fuerit consignata; & nihilominus eiusdem scripturæ exemplar authenticum penes Archiuium retinendum mandamus. Archiuium prædictum duabus clauibus claudatur: quarum vna per Archiepiscopum, vel Vicarium generalem: altera per Archiuistam à nobis deputandum detineatur. Sede verò vacante ea, quæ in Archiepiscopi, vel eius Vicarij generalis custodia erat, penes Capitulum custodienda remaneat.

CAPVT IV.

NOtarij, qui testamentis, aut alijs vltimis voluntatibus rogitus suos apponent, in quibus aliquid vel hæreditario iure, vel titulo legati Ecclesijs, & pijs locis relictum fuerit, id infra vnius mensis spatium non solũ eidem Ecclesiæ, vel pio loco, verùm etiam nobis, vel Vicario nostro generali sub excõmunicationis pœna denunciare teneãtur: ne ex ignoratione relictorũ (quod plerunque accidere solet) Ecclesia, & pia loca iuribus suis priuẽtur: neve à nobis, ad quos omniũ piarum dispositionũ executio iure pertinet, ad illorũ fauorem opportunum remediũ diutius quàm par est differatur.

TITVLVS XXXIII.

De solutione Decimarum.

CAPVT VNICVM.



CVM solutio Decimarum debita DEO sit, ac propterea grauiter peccent ij, qui varijs artibus Decimas Ecclesijs obuenientes subtrahere moliuntur, vt vel in propriam vtilitatem vertant, vel in aliorum commodũ euadant; auctoritate sacri Concilij Tridentini contra omnes illos, qui fraudulenter decimas soluere recusant, vel eas, quæ debentur Ecclesijs, sibi, vel pro alijs vsurpant, senten-

tia

tia excommunicationis decernimus procedendum. Quamobrem primæ Capitulorum Dignitates, & Parochi Ecclesiarum singulis annis tempore messium, & fructuum colligendorum tribus diebus festiuis continuatis, quando maior populi frequentia in Ecclesia conuenerit, sub excommunicationis pœna omnes, & singulos moneant, vt Decimas, vel Decimarum quotam, iuxta cuiusque loci consuetudinem infra certum tempus soluere debeant: nec sibi eas, quæ ad Ecclesias pertinent, aliquo modo vsurpare præsumant. Tempore deinde statuto exacto, contra omnes illos, qui decimas, vel non soluerunt, vel sibi vsurparunt, auctoritate nostra generalitèr sententiam excommunicationis proferant; à qua, nisi facta debita solutione, non absoluantur.

TITVLVS XXXIV.

De Monialibus.

CAPVT VNICVM.



EO sacratæ virgines omni terrenarum rerum cura procul abiecta totis in id viribus intendere debēt, vt cœlesti sponso CHRISTO tantum placeant: qui à mundo ideo eas voluit separari, vt nihil quæ mundi sunt cogitantes ipsi adhærere bonum tantum sibi esse existiment. Quod vt facilius præstare posſint, nihil sibi vtilius reputare debent, quàm si Ordinis sui Regulas, & Constitutiones omni in parte studeant adimplere.

Statuimus igitur, vt sui Ordinis Regularum caput vnum quotidie in pleno Monialium conuentu alta voce, & ordine recitetur; & cum à primo ad vltimum deuentum fuerit, à primo rursus incipiatur: atque ita huius exercitationis vsus nunquam intermittatur; quò frequenti salutarium præceptorum commemoratione, in ijs perfectè adimplendis diligentiores euadant.

Eodem modo pariter Constitutiones à Pio V. Pontifice de Monialium clausura editas vulgari lingua redditas quater in anno, statutis ab Ecclesia ieiuniorum temporibus, publicè legi mandamus.

Quæ à Tridentino Concilio sancita sunt, ab ipsis Monialibus inuiolatè seruentur. Ideo eorum summarium vulgari lingua confectum cæteris sui Ordinis Regulis, & constitutionibus adiungatur.

Confessores ordinarij Monialium Regularibus nō subiectarum sacerdotes seculares, vt vsus obtinuit, omnino esse debeant. Cum verò ex præscripto sacri Concilij Tridentini extraordinarius confessarius dandus erit, ex Regularibus etiam eligi possit, prout animarum saluti, & Monasteriorum vtilitati, ac necessitati magis expedire videbitur.

Abbatissæ, vel quouis nomine nuncupetur, præfectæ Monasterij Officium, vt ex Gregorij XIII. Constitutione vltra triennium perdurare non debet; ita eodem quoque tempore cæteras officiales Monasterij mutari præcipimus.

Omnibus denique siue laicis, siue Clericis, sub excommunicationis pœna expressè iubemus, ne ad Monasteria Monialium accedant; & cum ipsis Monialibus, sine nostra, vel Vicarij nostri generalis in Ciuitate, & Vicariorum Foraneorum in Diœcesi, licentia, gratis in scriptis concedenda, loqui præsumant. Excipimus tamen vtriusque sexus consanguineos, & affines in primo consanguinitatis, vel affinitatis gradu; quibus absque licentia cum Monialibus sibi in prædicto gradu coniunctis ita demum, loqui liceat, vt alias Moniales, Abbatissa, & ea, quæ rotæ præest, exceptis tantum, alloquendo, sententiæ excommunicationis, vt supra, subiaceant.

Licentia autem iuxta sacræ Congregationis decretum Regularibus nunquam, secularibus verò ad certum tempus tantum, Monialium nominibus expressis, non generaliter, rationabili causa suadente, concedatur.

Clerici autem, qui sine licentia ad Monasteria Monialium accesserint, & Moniales allocuti fuerint, præter sententiam excom-

municationis prædictam, alijs etiam arbitrio nostro pœnis puniantur. Ipsæ verò Moniales, quæ non habentes, vt supra, licentiam ad alloquendum admiserint, & eos allocutæ fuerint, per Abbatissam publica salutari pœnitentia corrigantur, & per mensem à collocutionis loco arceantur. Abbatissæ, quæ in hoc negligentes fuerint, nostram animaduersionem experientur. Quoad Tertiarias, Constitutiones Pij V. Gregorij XIII. & decreta Sacræ Congregationis Cardinalium super negotijs Regularium seruari mandamus.

TITVLVS XXXV.

De Regularibus.

CAPVT VNICVM.



SVPERIORES Regularium hortamur, & admonemus, vt subditos suos in officio contineant; huc illuc eos vagari non permittant, & religiosam vitam ducere faciant: ne licentiosè viuendo, & enormiter extra claustra peccando, si incorrigiles appareant, nostram ex sacri Concilij dispositione vltionem incurrant.

Sciant Regulares omnes, qui sanctæ Sedis Apostolicæ auctoritate, & priuilegio Conseruatores sibi eligere possunt, semel factam electionem non posse per eos amplius immutari: electionem verò nullius roboris, & momenti existere, nisi capitulariter fiat, & nobis infra mensem indicetur. Si aliter Conseruatores electi se in causis intromittant, ex sacræ Congregationis decreto nihil agunt; sed Regulares, perinde ac si electio facta non esset, debent in nostra Curia conueniri, quacunque consuetudine in contrarium non obstante.

TITVLVS XXXVI.

De Foro Iudiciali Vicarij Generalis.

CAPVT PRIMVM.



T à nostro iudiciali foro omnis auaritiæ procul arceatur suspicio, taxam confici mandamus; in qua distinctè quid, quibus causis, & pro singulis prouisionibus mercedis nomine accipiendum sit, describatur. Ea verò in aliqua tabella ante fores Cancellariæ nostræ perpetuò affixa pendeat; vt omnes; quid sua intersit, facilè inspicere possint. Quicunque verò nostræ Curiæ Officialis, siue Iudex, siue Notarius eius fines in accipiendo excesserit, restituere compellatur, & officij priuatione puniatur.

Et quoniam non solum auaritiæ sordes ab illis fugiendæ, verùm etiam pietatis, & charitatis exempla expectanda sunt: in causis pauperum, & miserabilium personarum expeditiones omnes gratis fieri iubemus.

CAPVT II.

CVm contingere plerumque soleat, vt aliqui bonum ius, quod in causis fouent, propter inopiam patrocinio destituti in iudicio consequi nō valeant; ne in nostro iudiciali foro hoc aliquando contingat, cum ad nos pauperum, & miserabilium personarum præcipua protectio pertineat, curet omnino Vicarius generalis, vt singulis annis Procurator, & Aduocatus pauperum eligatur: electio autem sorte fiat. Descripta itaque nomina singulorum, qui Procuratoris, & Aduocati munere in nostro tribunali funguntur, in singulis schedulis in duabus vrnis respectiuè includantur: ex

quibus

quibus forte per turnum ita extrahantur, vt qui extracti fuerint, Procuratoris, vel Aduocati pauperum officium anno integro exerceant. Huiusmodi verò extractio singulis annis coram Vicario nostro generali in die festo Sancti Syluestri ita fieri debeat; vt cum ad vltimos deuentum fuerit, nominibus omnibus in vrnis repositis, electio à principio rursum incipiat. Quicunque verò extracti officia prædicta administrare recusauerint, à Procuratoris, siue Aduocati munere in nostro iudiciali foro exercendo repellantur.

CAPVT III.

PVpillorum, & viduarum, qui verè pupilli, & viduæ sunt, & miserabilium personarum, mercedis item, & eas, quæ summam ducatorum decem non excedunt causas, summariè, simpliciter, & de plano, sola facti veritate inspecta, ordine iudiciorum non seruato, terminari mandamus.

Nemo concubinarius, vel notoriè criminosus Aduocati, vel Procuratoris, vel Notarij partes in nostro iudiciali foro agere permittatur.

Demum ante fores Cancellariæ nostræ tabella appendatur: in qua iudiciorum, & feriarum dies descripti appareant.

TITVLVS XXXVII.

De Vicarijs Foraneis.

CAPVT VNICVM.



Vm neque per nosmetipsos, neque per Vicarij nostri generalis personam in omnibus nostræ Diœcesis partibus præsentes esse possimus; Vicariorum Foraneorum officium est, nostro nomine singulis in locis Clericis præesse, ac diligenter pro salute animarum laborare. Curent igitur in primis omni diligentia, & studio, vt ea omnia quæ in nostris his Synodalibus constitutionibus, & in Visitatio-

num decretis tum quoad curam animarum à Parochis, & alijs sacerdotibus, ad quos spectat, exercendam; tum ad Ecclesiarum seruitium ab ijs, qui illi adscripti sunt, præstandum; tum ad vitæ honestatem ab omnibus Clericis retinendam sancita sunt, vndequaque seruentur.

Præcipuè verò, vtrum festi dies debito in honore à populo habeantur, & an pueri doctrina Christiana imbuantur, diligenter aduertant: pupillorum, viduarum, ac pauperum personarum, nec non piorum locorum præcipuè protectores existant.

Causas ciuiles, quæ summam ducatorum decem non excedunt, summariè, vt supra sancitum est, ipsi quoque terminent. vltra hanc summam in causis ciuilibus, sine nostra speciali commissione, se intromittere non præsumant.

Delicta cuiuscunque generis contra sacrorum Canonum, & nostrarum Synodalium Constitutionum tenorem, si per aliquos nostræ iurisdictioni subiectos homines committi contigerit, diligenter inquirant; de illis informationes capiant, ac processus conficiant. Nos tamen de omnibus statim certiores faciant; neque nobis inconsultis ad causarum criminalium expeditionem, neque ad conclusionem in causa deueniant: sed capta informatione, & re nobis significata, quid in vnaquaque causa agendum sit nostram iussionem expectent. Si in capiendis delictorum inditijs negligentes fuerint, aut amicitiæ gratia, vel munerum acceptione, clausis (vt aiunt) oculis, delicta impunita abire sinant, officio priuentur, & alijs arbitrio nostro pœnis subiaceant; ne ob delinquentium impunitatem ecclesiastica corruat disciplina; & vitæ, ac morum honestas in deterius collabatur.



TITV-

TITVLVS XXXVIII.

De Casibus Reseruatis.

CAPVT VNICVM:



VETEREM receptum in Ecclesia morem à sacro Concilio Tridentino etiam commendatum sequentes, vt à quibusdam grauioribus peccatis fideles nostro regimini subiecti magis abstineant, aliquos casus nobis reseruandos esse censuimus. Illud in primis præmittentes, nullum ex illis casibus nobis reseruare, quos iam Summi Pontifices sibi reseruandos esse iudicarunt, ac reseruarunt. Casus verò, quos nobis reseruamus, hi sunt.

I. Blasphemiæ omnes hæreticales, quæ aliquo modo hæresim continent, & articulis fidei, & ijs, quæ de fide Ecclesia Catholica Romana esse censet, aduersantur.

II. Incantationes, & veneficia cum inuocatione, vel pacto tacitis, vel expressis Dæmonum.

III. Simonia omnis, confidentiali, quæ ex Bullis Pij IV. & Pij V. reseruata est, & mentali exceptis.

IV. Homicidium voluntarium: abortus ante, vel post fœtum animatum; & sterilitas studiosè procurata.

V. Verberantium patrem, & matrem impium crimen.

VI. Falsum in iudicio testimonium in aliorum gratiam, vel odium.

VII. Peccatum contra naturam inter Clericos, & cum Clericis, & inter coniuges tantum; & bestialitas sæpius repetita.

VIII. Incestus in primo, vel secundo affinitatis, aut consanguinitatis gradu.

IX. Sacrilegium in loco sacro per sanguinis effusionem, aut semi-

nis emissionem ex coitu: vel per tactus inhonestos cum sacris Virginibus.

X. Graue Confessariorum peccatum, qui mulieres, vel pueros pœnitentes in confessione, vel extra sollicitant: aut à casibus reseruatis vltra eorum potestatem absoluunt.

TITVLVS XXXIX.

De Constitutionibus.

CAPVT VNICVM.



AS Synodales leges, vt non ad alium finem, quàm ad ecclesiasticam disciplinam in antiquum statum restituendam, & prauos mores, qui contra sacros Canones, & Conciliorum decreta inualuerunt, extirpandos, statuendas esse censuimus; ita omnes admonemus, vt promptitudinem, atque animi alacritatem, non metu pœnæ, sed virtutis amore in earum obseruatione ostendant: cum non ex tristitia, neque ex necessitate, sed hilarem datorem diligat DEVS; eas verò, antequam infra duorum mensium spatium à die, quo publicè fuerint in valuis nostræ Metropolitanæ Ecclesiæ appensæ, robur non habere decernimus. Omnia tamen, & singula in eis contenta, vt sanctæ Sedis Apostolicæ, & Beatissimi Romani Pontificis vniuersalis Ecclesiæ Pastoris, à cuius sententia recedere nefas esse putamus, & cui parere, & subiacere gloriosum nobis esse profitemur, emendationi, atque correctioni humiliter, & deuotè supponimus, & subijcimus; ita etiam firmitatem obtinere, & in suo robore vsque adeo volumus permanere, donec per Sedem Apostolicam prædictam, & eundem Beatissimum Pontificem non fuerint reprobatæ.

Ego Clericus Ioannes Baptista Rampanus Romanus I. V. D. Secretarius.

ALCV-

ALCVNI ORDINI, E DECRETI DE' ROMANI PONTEFICI, CONCILII, E CANONI,

De' quali specialmente si fà mentione nel precedente Sinodo, à comune vtilità volgarizati.

COSTITVTIONE DI PAPA PAOLO II. Sopra l'alienatione de' Beni Ecclesiastici.

Posta nelle Strauaganti Comuni, nel cap. Ambitiosæ. de reb. Eccl. non alien.



ESIDERANDO Noi di prouedere all'ambitiosa cupidigia di coloro principalmente, che cercando con troppa ansietà le diuine, & humane cose, gettatasi doppo le spalle l'eterna dannatione, presumono di conuertire in vsi profani li beni stabili, e mobili pretiosi dedicati a Dio; con li quali le Chiese, Monasterij, e luoghi pij si gouernano, e diuengono illustri, e li ministri di quelli si nodriscano, e spesano: ouero con isquisiti mezi d'vsurparli à danno grauissimo d'essi ministri, e del culto diuino. Con la presente Costitutione, che vogliamo sia di perpetuo valore, prohibiamo qual si voglia alienatione delle cose, e beni Ecclesiastici, e qual si voglia patto, per il quale il dominio d'essi si trasferisca, & ogni Concessione, Hipoteca, Affitto à più di tre anni, Infeudatione, e contratto d'Emfiteusi, fuor che ne' casi permessi dalle leggi, e di cose, e beni soliti ab antico di darsi in Emfiteusi, & all'hora in euidente vtilità delle chiese; e de' frutti, e beni, che conseruar non si possono, secondo che la necessità del tempo richiederà: Volendo nondimeno, che le Costitutioni, Prohibitioni, & altri Decreti fatti in questa materia da' nostri predecessori, che col tenor della presente rinouiamo, habbino la forza, che prima haueuano.

E se alcuno sarà tanto presontuoso, che ardisca contra questa nostra prohibitione alienare li predetti beni, e cose; l'Alienatione, Hipoteca, Concessione, Affitto, & Infeudatione siano totalmente nulli, e di nissuna forza.

E tanto colui, che aliena, quanto quelli, che le cose, e beni alienati riceue, sia scomunicato.

E colui, che aliena i beni delle Chiese, Monasterij, e luoghi pij di qual si voglia sorte senza saputa del Romano Pontefice, ò contra il tenor della presente Costitutione, se sarà ornato di Pontificale; ouero Badiale dignità, sia interdetto dall'ingresso della Chiesa in tutto, e per tutto. E se per sei mesi immediatamente seguenti ostinato (il che non piaccia à Dio, che auuenga) starà nell'interdetto, scorsi i predetti sei mesi, sia sospeso dal gouerno, & amministratione spirituale, e temporale della Chiesa, ò Monasterio, ne' quali presiede.

E li Prelati inferiori, Commendatarij, e Rettori d'altre Chiese, che tengono in qual si voglia modo beneficij, & amministrationi, siano ipso facto priuati de' Priorati, Prepositure, Prepositati, Dignità, Personati, Amministrationi, Offitij, Canonicati, Prebende, & altri Benefitij Ecclesiastici, con cura, e senza cura, secolari, e regolari, de quali sono le cose, e beni, che haueranno alienati, solamente.

E quelli s'intendano esser vacanti senz'altra dichiaratione; e si possino conferire liberamente à persone sufficienti (eccetto però a quelle, che perciò saranno state priuate) da gli Ordinarij, ò da altri, a' quali spetterà la collatione; se però non fossero generalmente, ò specialmente alla dispositione della Sede Apostolica riseruati. E nondimeno le cose, e beni predetti pertinenti innanzi l'alienatione già detta alle Chiese, Monasterij, e luoghi pij, ritornino liberamente ad essi.

Non sia dunque lecito in alcuna maniera ad alcuna persona stracciare questa nostra carta di prohibitione, & innouatione: ouero ad essa temerariamente contrauenire: e se ciò presumerà di tentare, sappia, che sarà sottoposto al giusto sdegno dell'onnipotente IDDIO, e delli Beati Apostoli Pietro, e Paolo. Data in Roma Appresso San Marco, il primo di Marzo, l'anno dell'Incarnatione del Signore 1468. l'anno quarto del nostro Pontificato.



DECRE-

DECRETO CONTRA QVELLI, CHE occupano beni di Chiesa.

Cauato dal Sacro Concilio di Trento nella sess. 22. al Capo 11. de reform.



E L'Auaritia, radice di tutti i mali, in tanto occuparà l'animo d'alcun Chierico, ò Laico di qualunque dignità risplenda, anco Imperiale, ò Regale, che presuma per se, ò per altri, con forza, ò con timore, ouero ancora per supposite persone di chierici, ò laici, ouero con qual si voglia arte, ò procurato colore conuertire in proprij vsi, & vsurpare, ò impedire, che non si riceuano da coloro, a chi le ragioni toccano, le giurisdittioni, beni, censi, e ragioni anco feudali, & emfiteotiche, frutti, emolumenti, ouero qual si voglia souuentione, che si debbano conuertire in necessità de' ministri, e poueri di alcuna Chiesa, ouero di qualunque beneficio secolare, ò regolare, di Monti di pietà, e di altri luoghi pij: questo tale soggiaccia all'anathema *(cioè alla maledittione, e scomunica maggiore)* sin tanto, che hauerà intieramente restituiti alla Chiesa, e suo amministratore, ò beneficiato le giurisdittioni, beni, robbe, ragioni, frutti, e rendite, le quali hauerà occupate, ouero in qual si voglia modo, anco per donatione di supposita persona, gli saranno peruenuti nelle mani, e fin che hauerà ottenuta l'assolutione dal Pontefice Romano. E se sarà padrone della medesima Chiesa, sia subito, oltre l'altre pene, priuo anco del Iuspatronato. Et il Chierico, che sarà stato fabricatore di questo scelerato inganno, e di tale vsurpatione, ò ne sarà stato consentiente, sottogiaccia alle medesime pene; e di più resti priuo di ogni sorte di beneficio; e sia fatto inhabile a qualunque altro beneficio; & anco doppo l'intiera sodisfattione, & assolutione, si sospenda dall'essecutione de' suoi ordini ad arbitrio del suo Ordinario.



DECRETO DELLA RESIDENZA.

Cauato dal Sacro Concilio di Trento, nella Sessione 23. al al Capo 1. de reform.



ESSENDO che per diuin precetto tutti quelli, a' quali è stata commessa la cura dell'anime, deuono riconoscere le sue pecore, offerir sacrificio per loro, e pascerle con la predicatione della parola di Dio, con l'amministratione de' Sacramenti, e con l'essempio di tutte l'opere buone, hauer paterna cura verso i poueri, e verso tutte le persone miserabili, e bisognose, & attendere a tutti gli altri vfficij di Pastore: le quali cose non si possono adempir tutte da coloro, che non vegghiano, & assistono alla sua gregge; ma à guisa di mercenarij l'abbandonano: Il sacrosanto Sinodo gli auuertisce, e gli essorta, che ricordeuoli de' precetti di DIO, e fatti essempio, e norma della gregge, la pascano, e reggano in giuditio, e verità. Et acciò i Decreti, che già santamente, & vtilmente furono fatti sotto la buona memoria di Paolo III. non siano intesi in senso lontano dalla mente del sacrosanto Sinodo, come se per vigore di quei Decreti si possa stare assente per cinque mesi continoui: seguendo quei decreti, dichiara il sacrosanto Sinodo, che tutti i Patriarchi, Primati, che hanno cura di Metropoli, e di qual si voglia Catedrale sotto qualunque nome, ò titolo, ancorche fossero Cardinali di S. Chiesa, siano obligati alla Residenza personale nella sua Chiesa, ò Diocese, doue sono tenuti far l'vffitio loro; nè possano star lontani, se non per le cagioni, e conforme a i modi infrascritti. Però che richiedendo, & ordinando tal'hora la Christiana carità, l'vrgente necessità, la debita vbbidienza, e l'euidente vtilità della Chiesa, ò della Republica, che alcuni stiano assenti, il medesimo sacrosanto Sinodo ordina, che dal Romano Pontefice, ò dal Metropolitano, ò in suo difetto, dal più vecchio Suffraganeo, il quale anco dourà approuare l'assenza del Metropolitano, siano approuate in iscritto le cagioni dell'assenza; eccetto quando occorresse assentarsi per qualche vfficio, ò carico della Republica annesso a i Vescouati; le cui cagioni, perche sono notorie, e tal'hora repentine, non è pur'anco necessario farne consapeuole il Metropolita-

no,

no. Tuttauia a lui medesimo col Concilio Prouinciale si aspetta il giudicare delle licenze date da se, ò dal Suffraganeo; e vedere, che alcuno non si serua malamente di tal potestà; e che quelli, che fallano siano puniti conforme a i Canoni. Frà tanto occorrendo ad alcuni di assentarsi, si ricordino, che talmente si deue prouedere alla sua gregge, che per sua assenza, quanto sia possibile, non riceua danno alcuno. Ma perche quelli, che per vn pochetto solamente stanno lontani, per sentenza di antichi Canoni, pare che non siano assenti, perche di subito sono per ritornare; vuole il sacrosanto Sinodo, che il detto spatio di star lontano, ò sia continuato, ò interrotto, fuor delle predette cause, ciascun'anno non ecceda due, ò tre mesi al più, e s'habbia riguardo, che ciò si faccia per legitima causa, e senza alcun danno della gregge; il che rimette alla coscienza di chi si parte, sperando, che debba esser religiosa, e timorata, poiche IDDIO è scrutatore de' cuori; il cui seruitio sono tenuti sopra il carico dell'anima sua fare senza fraude. Nondimeno il sacrosanto Sinodo i medesimi ammonisce, & essorta nel Signore, che nel tempo dell'Auuento, della Quadragesima, della Natiuità, e Risorrettione, e nelle feste della Pentecoste, e del Corpo di Christo (nel qual tempo spetialmente s'hanno da ricreare le pecore con la presenza del Pastore) essi non si vogliano partire dalle lor Cathedrali; se però per il suo carico Vescouale non fossero forzati d'andare in altra parte della sua Diocese.

E s'alcuno (il che piaccia à DIO, che non auuenga mai) contro l'ordine di questo decreto starà lontano; vuole il sacrosanto Sinodo, che oltre l'altre pene imposte, e rinouate altre volte contra chi non risiede sotto Paolo III. & oltre il peccato mortale, che incorre, non possa farsi padrone de i frutti per la parte del tempo, che starà assente; e non li possa ritenere sicuramente in coscienza, ancorche non si facesse altra dichiaratione; ma lui sia tenuto, ò (non lo facendo egli) debba il Superiore Ecclesiastico impiegarli in fabbriche di Chiese, ò in poueri di quel luogo; prohibendo ogni conuentione, ò compositione, che si chiami, per li frutti malamente presi: per la quale in tutto, ò in parte gli fossero rilassati detti frutti: non ostando qualunque priuilegio concesso à qualsiuoglia Collegio, ò fabbrica.

Le medesime cose in tutto, e per tutto dichiara, & ordina il sacrosanto Sinodo ancor quanto al peccato mortale, quanto alla perdita de' frutti, e quanto all'altre pene, contro i Curati inferiori, & altri, che tengono alcun beneficio Ecclesiastico, che habbia cura d'anime: con questo però, che ogni volta, che per qualche accidente gli conuerrà star lontani dalla cura, con saputa prima della causa, e con licenza

dell'Ordinario, lascino in suo luogo vn Vicario sofficiente, approuato dall'istesso Ordinario con assegnarli la debita mercede. Ma non se gli dia licenza di star lontani più di due mesi, se qualche gran causa non fosse, e si dia in iscritto, e gratis.

Ma se essendo citati per editto à comparire, se bene non fossero citati in persona, staranno contumaci; vuole il sacro Concilio, che sia in arbitrio de gli Ordinarij astringerli con le censure ecclesiastiche, e con sequestrargli, e leuargli i frutti, e con altri rimedij, insin con priuargli de' benefitij; e che tale effecutione non si possa sospendere per qualsiuoglia priuilegio, licenza, familiarità, essentione, anco per rispetto di qualunque beneficio, confermato con patto, ò statuto, ancor con giuramento, ò con qualunque autorità, ò consuetudine etiam immemorabile, che più tosto si hà da tenere per abuso, e corruttela, ò per appellatione, ò inhibitione anco nella Curia Romana, ò per vigore della Costitutione di Papa Eugenio.

DECRETO DE I MATRIMONII CLANDESTINI.

Cauato dal Sacro Concilio di Trento nella Sessione 24. al capo 1. de reform. matrim.



BENCHE Non è da dubitare, che i Matrimonij clandestini fatti con il libero consenso de i contrahenti siano fermi, e veri matrimonij, mentre la Chiesa non gli hà fatti inualidi: e perciò con ragione si debbono dannare, come il Santo Concilio gli anathematiza, quelli, li quali negano esser veri, e fermi; e quei, che falsamente affermano i matrimonij contratti da' figliuoli di famiglia senza il consenso delli loro padri esser nulli, & inualidi, & essi padri potergli fare validi, ò inualidi: nondimeno la santa Chiesa di DIO per giustissime cause sempre hà tali matrimonij biasimati, e prohibiti. Ma hora il santo Concilio vedendo, che quelle prohibitioni per l'inobedienza de gli huomini già non giouano: e considerando i graui peccati, che dalli medesimi matrimonij clandestini nascono; massimamente di coloro, i quali perseuerano in istato di dannatione, mentre abban-

donata la prima moglie, con la quale di nascosto, e clandestinamente haueuano contratto il matrimonio, publicamente contrahono con vn'altra, e con quella viuono in perpetuo adulterio; al qual male non si può soccorrere dalla Chiesa, che non giudica delle cose occulte, se non vi si pone vn remedio più efficace. Per questo seguendo i vestigij del sacro Concilio Lateranense celebrato sotto Papa Innocenzo III. commanda, che per l'auuenire auanti, che alcun matrimonio si contraha, dal proprio Paroco di essi contrahenti tre volte in tre giorni di festa continoui, nella Chiesa trà la solennità delle Messe si debba publicamente denũciare trà quali persone si hà da cõtrahere il matrimonio.

Quali denunciationi fatte, se non vi si oppone alcun' legitimo impedimento, si proceda alla celebratione del matrimonio in faccia della Chiesa: doue il Sacerdote Parochiale hauendo domandati, & interrogati l'huomo, e la donna, & inteso il loro mutuo, e libero consenso, ouero dica: *Ego vos in matrimonium coniungo, In nomine PATRIS, & FILII, & SPIRITVS SANCTI*: ouero vsi altre parole, secondo il riceuuto costume, e rito di ciascuna prouincia.

Ma s'alcuna volta sarà probabile suspitione, che il matrimonio possa essere malitiosamente impedito, se inanzi fussero fatte tante denunciationi; all'hora ouero si faccia vna denunciatione, ouero almeno in presenza del Sacerdote Parochiale, e di due, ò tre testimonij, si celebri il matrimonio, e dopo inanzi la consumatione di esso matrimonio si faccino le predette denunciationi nella Chiesa; accioche se vi sono alcuni impedimenti, più facilmente siano scoperti, eccetto se l'Ordinario giudicherà essere espediente, che le dette denunciationi si tralascino; il che il santo Concilio rimette alla prudenza, e giuditio di esso Ordinario.

Quelli, i quali attenteranno di contrahere matrimonio altrimente, che in presenza del Prete Parochiale, ò di altro Sacerdote (con licenza però di esso Parochiale, ò del Prelato Ordinario) e presenti due, ò tre testimonii, il santo Concilio li fà totalmente inhabili à contrahere il matrimonio in tal modo, e decreta tali contratti essere irriti, e nulli, come per il presente decreto li fà irriti, e gli annulla.

Di più commanda il santo Concilio, che quel Prete Parochiale, ò altro Sacerdote, che interuerrà à tal contratto di matrimonio, con minor' numero di testimonij, e similmente quelli testimonij, che interuerranno senza il Prete Parochiale, ò Sacerdote, come è detto di sopra, e così anche essi contrahenti medesimi siano grauemente puniti ad arbitrio di esso Ordinario.

Oltre di questo il medesimo santo Concilio essorta, che gli sposi

auanti la benedittione Sacerdotale, quale s'habbia à riceuere nella Chiesa, non habitino nella medesima casa.

Et ordina, che la detta benedittione si debba fare dal proprio Sacerdote Parochiale; e che da nessun'altro, eccetto che da esso prete Parochiale, ouero dal Prelato Ordinario si possa concedere licenza di far detta benedittione: non ostante qual si voglia consuetudine ancora immemorabile (quale più tosto è da chiamarsi corruttela) ò altro priuilegio, che vi fusse.

E s'alcun Parochiale, ò altro Prete ò sia secolare, ò regolare, ancorche pretenda questo essergli lecito, per alcun priuilegio, ò consuetudine immemorabile, presumerà di congiungere in matrimonio, ò benedire li sposi di altra Parochia senza licenza del proprio Sacerdote parochiale di essi sposi, ipso iure sia sospeso senz'altro dall'offitio suo fintanto, che sia assoluto dall'Ordinario di quel Prete parochiale, quale douea interuenire à detto matrimonio, ouero dal quale era da riceuersi la benedittione.

